



In anno Domini 1720. conatus Ca-  
liffing ac Reverendiffimus Do-  
minus, Dominus Franciscus Sors,  
S. S. Ecclesiarum in Transilvania  
formatorum Episcopus beneme-  
ritus, de quo hoc opus resifica-  
tur, cuius nomen in libro vite  
eterna adscriptum esse credi-  
tionis precor.

Sammel Boer D. R. K. K.

Haáz. Rezső Múzeum  
Tudományos Könyvtára  
Székelyudvarhely

3464  
F. 25 VIII.

H. L. O. C. L. 50

Ex Oblatione M. Comini  
Ladislai. Rebelli

Haáz Rezső Múzeum  
Tudományos Könyvtára  
Székelyudvarhely

Tb. i. o. 4. L. ~~21~~ 20



Ladislav Comes Székely de Boros Jenő  
et Samolykepi, Sacratissima Cesareo Re-  
gia et Apostolica Majest: Domine Donae  
MARIAE THERESIAE Festivo Augu-  
stissima Domus Austriacae IOSEPHI  
nimirum Corona PRINCIPIS in Regem  
Romanorum Majestatis Regiae ipso Co-  
ronationis die Resolutus Camerarius  
Actualis. Año D. 1764. aetat. vero 48.

# POSITIONES DE PESTE,

Divinae Revelationi; sanæ Rationi;  
Experientia longorum seculorum,  
conformes.

EXCELLENTISSIMO DOMINO, D: SACRÆ  
CÆSARÆ REGIÆQ. MAJESTATIS  
In Principatu Transilvania  
GUBERNATORI REGIO;  
Ejusdem S C. R. Majestatis  
STATUS INTIMI MINISTRO;  
Illustrissimo Dño, D. COMITI  
SIGISMUNDO KORNIS,  
L. BARONI DE GÓNCZ-RUSZKA;  
Domino, Dño Gratióssimo:

*Cæterisque*  
ILLUSTRISSIMIS EXCELSI REGII GUBERNII  
CONSILIARIIS INTIMIS,  
DOMINIS, D. mihi submisso colendissimis:

OBLATÆ,

à

FRANCISCO SOOS;  
Ecclesiarum Reformatarum in Transilv:  
SUPERINTENDENTE.

CLAUDIOPOLI, Excudit Samuel Pap Telegdi, A. 1760.

Ladistai Comitis Relely de Comullesi  
Honoratum  
Aper scripta Deo, magnam Composita recedit.

---

Deut. cap. 28: v. 15, & 21.

*Si non auscultaveris voci Jehova Dei tui, --- Faciet  
Jehova, ut adhaereat tibi Pests, donec consumse-  
rit te ex ea terra, quo tu venturus es.*

In rebus Adiaphoris S. Pauli Ap. regula est  
ad Rom. cap. 14. v. 5.

*Unus quisque in animo plenè persuasus esto.*

Chrysostrum.

*Quanto majora timentur esse dispendia, tanto prom-  
ptior & perfectior debet esse cautela.*

Hieron. in Ezech.

*Providentiâ Dei omnia gubernantur: & qua putatur  
pœna, medicina est.*

515

~~Tit. Ordo 5 Lib. 20. 6.~~  
L. B. G. H. L. in conspectu  
nit sub Dec. Pro. Nic. Singel  
et Bibliothecario P. G. G. G.  
= 803.



EXCELLENTISSIME GUBERNATOR,

Domine, D. mihi gratiosissime!

ILLUSTRISSIMI EXCELSI REGII GUBERNII  
CONSILIARII INTIMI, DOMINI,

D. Patroni ac Fautores mihi submissè  
Colendissimi!

**D**Iu animo hæsi; an mihi committen-  
dum esset, quòd continuas gravesq;  
VESTRAS in Publicum Bonum  
curas, stylo meo rudi interpellarem? An  
Favorem VESTRUM magnis Redhostimen-  
tis demerendum, Positionibus meis invitâ Mi-  
nervâ elaboratis, mihi conciliandum atten-  
tarem? Qui thure magni pretii magis essetis  
mihi placandi, quàm foliis chartaceisque  
quibusdam lineolis demerendi. Hæsi diù  
(: me meo metior pede :) subactò & acri ju-  
dicio; quale habere debet, qui de ardua ac  
delicata Materiâ Contagiosæ Pestilentix scri-  
bere vult destituto, quicquam scribendum  
esset: idque ed magis, quia Experimentif-  
simos quosque qui de Peste scripserunt, usque  
ad sudores fatigavit Materia eadem. Verum  
enimverò scrupulum hæitationis meæ sustu-  
lerunt rationes permutæ, ad bilancem tan-  
dem

dem Rationis bene trutinatæ. Et quidem *primo* spem concepi inter curas VESTRAS sollicitudinesque admodum devotas pro Patria, tempus VOBIS vel saltem succisivè impetraturos ad ea expendenda, quæ Chartæ custodi brevibus commisi.

*Deinde* verò præsumere mihi cœpi, quantum major est VESTRA Dignitas ac Sublimitas: eò magis Stylum, ampullatis verbis constantem, à me non expectabitis. Theologo siquidem Stylus affectatus contemnendus est. Rem qualiter assecutus fuerim, VESTRARUM erit Partium dijudicare. Ego novi non paucos futuros (: præsertim inexercitatos :) qui naso Theses meas suspendent adunco: Sed quia ad hoc scribendum non pruritus scribendi, non ambitiosa libido me impulerunt; sed amor Boni Publici, piæque sollicitudo damnosa præjudicia hominum ex animis extirpandi: *Hoc mihi murus abæneus, robur, & as triplex circa pectus erit.*

VESTRUM igitur erit, EXCELSUM REGIUM GUBERNIUM, ut Opusculum meum sub VESTRUM recipiatis Patrocinium; quatenus sub umbone Alarum & Protectionis VESTRÆ Theses meæ pro Publico utiles esse possint.

Prin-

Princeps autem ratio est, quæ me induxit, VOBIS præsentem hanc molestiam faciendi; quòd sim expertus Pestilentia, aut imminuendæ, aut avertendæ causâ, quantum in VESTRIS erat viribus, VOS Prophylactica quæq; externa ac Præcautiones sollicitè adhibuisse.

Insuper & hoc agnosci debet, quòd CLEMENTISSIMI Domini, D. Nostri PRINCIPIS HÆREDITARII, quando Mandata Clementissima Jussaq; accepissetis, de Præcautionibus grassantis Pestilentia, quantum humanæ vires possunt, nè Contagio serpat, compescendæ causâ, bonâ ratione adinventis; Fideles VOS (: sicut & in aliis rebus assoletis :) præstitistis. Inde igitur factum est, quòd viderimus sollicitudinis VESTRÆ in Commissionum identidem per Comitatus, Sedes, Civitates, Oppida, Vicos propagatarum, pro moderanda Infectione certissima indicia. Si quidem in VESTRIS fuisset viribus positum, pollice uno (: quòd ajunt :) commune Pestilentia malum inhibuissetis, sustulissetis; CLEMENTISSIMO PRINCIPI HÆREDITARIO Subditos sine ullo periculo conservassetis.

Summæ laudes CLEMENTISSIMO HÆREDITARIO Nostro PRINCIPIdederendæ sunt,

simul & gratiarum actiones; quod ex provi-  
sione Paterna, Clementiq; favore, curam  
Nostri in serpente Contagione VOBIS com-  
miserit: Quò nomine Populus gratias aget,  
Celeusmâq; canet Deo suo; quòd *PRINCI-  
PEM PROVINCIÆ* dederit, de *QUO* perpet-  
uus stylus erit, quòd sit *Pater Patriæ*: & cum  
Populus sedet in valle umbræ mortis, sanitatē  
quantū licuit humanis viribus, adjuverit.  
Cujus certissimum indicium est, cætera inter,  
Pharmacopiæ, M. D. Chirurgorum submini-  
stratio: perpetuò igitur & *PRINCIPI CLE-  
MENTISSIMO* Populus benedicet! faustum,  
felix ac gloriosum in feros Nepotes Regnum  
gloriosissimè continuandum apprecabitur!

VOBIS autem, *EXCELLENTISSIMUM*  
*REGIUM GUBERNIUM*; pro salute nostra  
intensissimè laboriosum; maximas etiam gra-  
tias agent omnes illi, qui rem rationabiliter  
expendentes, agnoscent VOS de Externis Pro-  
phylacticis remediis satis providisse; atque  
etiam si dura quibusdam visa sit salutaris ista  
OEconomia vitæ conservandæ, explere ta-  
men Paternum officium non destitistis.

*VESTRÆ EXCELLENTIÆ,  
VESTRARUM ILLUSTRITATUM,*

*servus humilimus*

FRANCISCUS SOOS.

Ad Le-

AD LECTOREM.

*B*enevole Lector! Officii mei partes fecisse, spartamq;  
mibi incumbentem me exornare voluisse interpretaberis;  
cum de pestifera lue quadam chartis illeverim; si per-  
penderis Theologorum ac Pastorum partes esse attendere  
ad omnem temporum conditionē ac statum; atque ita se se  
accommodare presenti rerum usui, ut & tradere scriptō &  
docere verbō parati sint, quæ prasens postulat necessitas, &  
quæ edificationi aliorum inservire possunt. Hic tibi mente  
recolligendum est, quod scriptō tenuis traditum legas,  
1 Chron. 12: 32. de Tribu & Filio Isachar, qui rerum tem-  
porumque valdè intelligentes erant, quippe, qui sapienter  
consulere Israël poterant, quid faciendum quovis tempore,  
quâque occasione esset; quæ prudentia, eique adjungenda so-  
lertia, Theologo & Evangelii Ministro valde necessaria est.

Tradunt Historia; cujuscūq; avi Doctores isti rei admo-  
dum incubuisse: ut cum singulares casus sub Sole continge-  
rent; prasertim verò magna judicia ulciscendis hominum  
sceleribus à Deo immissa fuerint; scriptō, emphaticisque  
Orationibus in adorationem Numinis, atque excitationem  
timoris Dei in hominibus, tradiderint. Ex hoc Principio,  
Vir eruditus Gregorius Nazianzenus de Grandine sub Va-  
lente Imper. latè in Oriente grassante, elegantem habuit  
sermonem. Cyprianus, Peste ferè per totum orbem atque  
Africam grassante, Immortalem de Mortalitate scripsit  
sermonem. Profectò tanta fuit irati Numinis nostra pec-  
cata contagiose luis medio in Patria nostra amplius, quàm  
per decem annos ulciscens vindicta; quæ tabulis nulla li-  
tura deturpandis, inscribi debent; posteritas ut vim manus  
Dei intelligens contremiscat; presentes verò memoria ac  
altè mente repositum teneant latè patens periculum.

Si igitur ad hos fines quicquam me facere officium jussit,  
fecique; equi bonique consulunt bona intentionis equi esti-  
matores: Adde, quod Amolus Prophetâ, acutè quâdam  
ac gra-

de gravi oratione, homines torpori suo indormientes, hunc in modum excitet, cap. 3. v. 8. Leo rugit, quis non expavescat? Je hova locutus est, quis non prophetet? Prophetare autem quandoquidem scire sit, loqui de re Divina, Deo nos in Peste (: Leone robustiore :) aggrediente, nonne oportuit me quòq; validò Dei vocis sonitu excitari, quatenus ora ad loquendum resolverem?

Fateor equidem, plus me consulere potuisse communi utilitati, privatorumq; conservationi; si Peste nondum ingruente officium fecisse potuissem; sed nunquam in animum induxi, extremò quoque digressò Materiem Pestilentie attingendi; nisi quando quosdam nimio timore contagionis Pestilentis affectos experirer; alios verò precipites ruere viderem in omnem suam perniciem: que observationes mentem quidem meam protinus provocavère; sed lamentabiles Civitatis nostrae casus ex morientium exemplis accepta sollicitudines magnum bonae intentioni obicem posuerunt.

De reliquo ego, in *Thesibus meis* scribo, nulli verò prescribo; siveo, an Lector sibi persvadeat liberum relinquo. Interim moneo: Sive praesens etas recrudescentiã quandã Pestilentie persentiscat, (: quod D. O. M. clementissimè avertat :) sive feri nostri Nepotes triste illud Fatũ experiri cogantur; Deum primùm timeant; salutis publicae conductia media nè assernentur; quisque autem putet se vita suae custodem à Deo constitutum esse. His Te benevalere, rebùsq; humanis in serã etatè superesse animatũ discipulo.

Tuo bono addisissimè, Tui amatissimè, Tui devotus Cultor  
FRANCISCUS SOOS, E.R.T. Superintendens.

Scribebam exeunte tristi An. 1719.

& ineunte An. 1720, cum nova luce aëris mortalibus affulgente.

#### ERRATA CORRIGENDA.

Paginã 23 lineã 11. lege, *περίφορου*. pag. 33. lin. 23. leg. *sc.*  
pag. 43. lin. 14. leg. *affecerit*. pag. 58. lin. 14. leg. *pro periculo*.  
pag. 69. lin. 18. leg. *persecutionis*. pag. 72. lin. 9. leg. *consumtiona*.  
pag. 78. lin. 20. leg. *sanctimonia*. pag. 81. lin. 18. leg. *gnaris*.  
pag. 85. l. 17. leg. *conficiente*. *ibid.* l. ult. leg. *desidere*.

POSI.



## POSITIONES PROLEGOMENÆ, Argumento præmissæ.

I. **THEOLOGUM**, Deum loqui, ex Deo, coram Deo, ad gloriam ejus loqui, præter conscientiam monentem (*tibi dicit cor meum*, i. e. pro te, sive vice tuã; *querite faciem meam*, Psal. 27. v. 8. :) ipsum etymon vocis admonet.

II Igitur Præambulum Sermonem nostrum institueret de Deo; & nostra ab ipso dependentia, in essentia, in existentia, in operationibus, fortunis, infortuniis, casibusq; variis; deniq; in exitu vitæ nostræ, ac in tristi nostro letho; monuit nos nomen *Θεολόγος*.

III De Deo imprimis eloquamur *Primam illam Veritatem*, cui nec ordine, nec dignitate ulla alia anteit: *Esse nempe & existere Deum*; in hoc lumine Rationis, sive conscientie suffragante; Sacrosanctã Scripturã idem invincibiliter evincente: omnibus Gentibus, Barbaris quòq; ad cujusdam Numinis agnitionem, ac cultum consentientibus: habent enim τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ, i. e. *cognoscibile Dei*; vel, si mavis, *id, quod de Deo cognosci potest, manifestum in se ipsis*. Rom. 1: 19. *Invisibilia enim Dei mente perpensa pervidentur, aeterna ejus Potentia & Divinitas, v. 20. ex iis, que fecit.*

IV. Per Deum autem, Ens summè perfectissimè.

A

mum.

num, sive Substantiam quandam cogitantem, ab æterno à se existentem, sui consciam, omnipotentem, gloriosam, perfectè beatam, & cæteras omnes perfectiones verè ita dictas habentem, intelligendam esse, ipsa notio Dei nobis cum natura indita validè insinuat; Sacra Scriptura autem planè persuadet.

V. Inter perfectiones verò Dei inexhaustas, ac penè innumerabiles, primæ considerationis est (ut terminò paululùm barbarò, usu tamen Scholarum tritò utar:) *Aseitatis*, i. e. quod non ab alio sit, sed à seipso; non *negativè* tantùm, sed maximè *positivè*: *Habet enim vitam in seipso*, Joh. 5: 26. Unde & *Primus* audit, Esa. 44: 6. *neq. ante Ipsum formatus est* Deus, Esa. 43: 10. à quo scilicet Deus noster existentiam suam sumere necesse habuisset.

VI. Proinde per *Aseitatem*, eam Dei perfectionem intelligimus, quæ sibi sufficiebat ex plenitudine inexhaustarum suarum perfectionum ad existendum, exclusâ omni aliâ causâ, ad existentiam ejus quicquam conferente. *Quis enim ei prior dedit?* Rom. 11: 35.

VII. In hac autem *Aseitatem* demonstranda, agè Judat ipsa Ratio quòq; aliquantulùm; Ratio enim hïc & videre potest multa, & fari utiliter plurima. Sic igitur pergo: Si Deus non sit à seipso, sed ab alio; Deus quòque nequit esse. Deus enim est Ens summè perfectissimum, atqui quod ab alio est, esse Relativum excludo: non est Ens summè perfectissimum; est enim ab alio. Major quippe perfectio est à

est à se esse, quàm ab alio ducere originem cum initio. Deinde Id, quod Deo, sive Enti perfectissimo esse conferret & *existere*, notionem Dei ad se derivaret, jurèq; potiori Deus futurus esset; quàm illud, quod essentiam cum existentia ab illo accepisset. *Illud* enim causæ; *Hoc* verò effecti respectu ac notione gauderet. Accedit, quòd his illa terminari nunquam posset; procederetur namq; in infinitum. Atq; ita, si Deus ab alio esset, semper quæri posset: *Illud aliud* à quo iterum habet suam essentiam & existentiam? Et si respondebitur, *Illud* quòq; esse ab alio; iterum redibit quæstio eadem, de eo lem: ut necesse habeat omnis Ratio in hoc acquiescere; cum, qui Deus est, sine extrinseca origine esse.

VIII. Cave verò, putes; cum pugnamus ex Scriptura ac lumine Rationis pro *Aseitatem* Dei, nihil continere frugi, & quod scopo nostro conveniat. Si namq; in hoc Principio optimè non fuerimus fundati, inq; hac Veritate firmiter radicati, manebimus in incertitudine ac incititia originis nostræ; deeritq; nobis fundamentum ad veram ac humilem à Deo dependentiam; sive Spectes & essentiam, & existentiam nostram; sive fortunas, infortunia, casusq; varios vitæ nostræ, ac deniq; mortem ipsam, ubi & Providentia Dei terè magis, quàm alibi se exerit; & nostra in Dei voluntatem ejusq; nutum fidelis resignatio contestata esse debet. Namq; à me ipso cum non sim; sed ab eo originem ducam, qui à se est; idcirco totus quantus sum, ipsius tum Dominio, tum arbitrio sublim; sequi

illius voluntatem ac nutum in omnibus debeo & teneor per vitam mortemq.

IX. Descendamus itaq; ab ipso Deo, à se & per se existenti, ad ea, quæ Deus non sunt, ac præter & extra Deum concipiuntur; ut & ad nos quoq; ipsos. Ferat nobis hinc opem imprimis *S Scriptura*; sequatur deinde *Ratio* cum sua evidentia. Testimonia Scripturarum habet hæc, omnium rerum originem ad Deum referentia: Joh. 1: 3. *Absque eo factum est nihil, quod factum est.* Rom. 11: 36. *Ex ipso omnia, scilicet Deo, & per ipsum, & ad ipsum omnia.* Apoc. 4: 11. *Tu condidisti omnia, & per tuam voluntatem sunt, & creata sunt.* Psal. 36: 10. *Fons vita apud te est.* Mitto loca; extensiones cœlorum, eorundemq; exercituum productiones; montium fundationes; abyssi, æstuosiq; maris inter saburras suas conclusiones; pluvia, roris, nivis, ex nubibus & æthere subministrations, (& quis posset in calculum singula referre?) Deo nostro adscribentia. Vices suas ergo nunc faciat ipsa *Ratio*.

X. Si *Rationem* consulas, de rerum omnium origine; Illa abundè Argumentorum nobis sufficit, tum in genere, tum speciatim omnia condita esse à Deo, & originem rerum omnium esse præpotentem Dei voluntatem, Imperiumq; ejus efficacissimum. Quid enim? Si namq; res à Deo, sive Ente perfectissimo non sunt, sui causa ipsissimæ res sunt; & sibi ad existendum cum sufficientes intelligantur, ipsissimum Ens perfectissimum sunt: Abiurdum verò est, tot Entia perfectissima, sive tot Deos dari, quot res ipsæ sunt: Notio verò Dei, ut  
Entis

Entis perfectissimi, abundè evincit præter eum nihil esse posse, quod ab ipso non sit, & ab ipso non dependeat.

XI. In *specie*, si attendas ad res corporales, cum illæ sint bruta quasi moles, nec actuositatem ex sese habeant, alienæ causæ, tum ut moveantur, tum ut quiescant, subsidio indigentes; ad causam primiq; Motoris agnitionem ducit attendentes. Res verò spirituales, nec sunt sibi consciæ tali se virtute præditas esse, ut sui causa esse potuerint; nec vim ac virtutem se conservandi, aut detectus suos explendi habent: si autem à se esse potuissent, omnes illas perfectiones, quas sibi deesse sentiunt, dolentq; sibiipsis deesse; nequaquam sibi denegassent.

XII. Nè verò, quum aliarum rerum originem investigamus, nostri obliviscamur; descendamus ad considerationem propriæ nostræ originis; qua in re ducem sequamur *Rationem* rectam, & ipsam Sacro-Sanctam *Scripturam*. *Ratio* autem hinc nubem potest sistere Argumentorum; sed brevitatis causâ ex admirabili mentis cum corpore conjugio, sive unione, quædam depromemus. Unio mentis cum corpore, potentem ac sapientem causam præter & extra nos prærequirit: enimverò mens ultro & deliberatò consilio, in hoc, quod gestat, corpus habitatum non concessit: neq; id sibi ipsa fabricavit & subjecit: neq; etiam ipsa scit, quomodo membra sibi subjecta moveantur ad voluntatem suam, aut in se ad varios corporis motus, perceptiones variæ creantur: neq; Parentum consilio  
A 3 & po-

& potestate fœdus illud inter res, naturâ suâ irreconciliabiles (: puta mentem & corpus :) erectum esse: nêq; duas has res superficierum contactus conjungere: nêq; hoc fœdalitium ex ambarum partium pacto potuit provenire: nêq; casu, vel Forte (: ut dicitur :) magistrâ coisse potuere; Sed, ut starent alternò quasi fœdere colligatæ, in causa esse debuit id, quod est sapientissimum & potentissimum, Deus nempe.

XIII. Scripturam si porro de origine nostri audiverimus, illa testis est, Hominem esse Dei plasma, quem ex luto instar Plæstis manu suâ finxit & efformavit. Mosès equidem sic fatur, Gen. 2: 7. *Finxit autem Jehova hominem de pulvere terræ, sufflavitq; in nares ejus spiraculum vitarum; sic factus est homo anima vivens; vel, si mavis, animal vivens.* Elihu autem apud Job. 32: 6. sic inquit: *Ex luto excisus sum etiam ego* Esaias quoq; paria habet, 45: 9. & 64: 8. *Jehova! Pater noster es tu, nos argilla, & tu Formator noster, & opus manus tua nos omnes.* Mitto sexcenta alia

XIV. Quando hæc usque processum est; ut & nostri reliquarumq; rerum originem intelleximus; & Numen supremum, causam esse omnium advertimus; licebit tutissimè concludere: res, quæ ab alia causa sunt, essentiamq; & existentiam ex se non habent, durationem quoq; ab ea causa habere, à quâ sunt. Certè enim, si nobis esse ac existere non dedimus; in nobis, ut porro existamus, causam hautquaquam inveniemus; ut & nos conferendi conscientiam penitus nullam habemus

XV. Sed,

XV. Sed, *quia modus operandi sequitur modum essendi.* (: Logicis bene hoc Axioma constituentibus :) res quælibet tantum agere, tantum posse, tantum proficere, durare usq; eò potest; quamdiu causa suprema vult, & præviè sapienter providet. Absurdum enim esset, in operando eam non ab eo dependere, qui originis suæ causa est; suòq; committi creaturam arbitrio, imperium summi Domini tolleret.

XVI. Hominem oportet imprimis hæc secum conferre: est enim homo Res, inter res nobilissima, & quodammodò suæ spontis; excellentissima rerum, post Genios Sanctos astimanda Substantia, creatura cujus laudem ex Gentili Poëta, Gentium ille electus Apostolus sic declamat, quòd sit *γένος τῶ Θεοῦ.* Act. 17: 28, 29. i. e. *progenies Dei.*

XVII. Verumenimverò ab eodem Gentium Apostolo moniti sumus, nos in Deo *esse, vivere, ac moveri.* Act. 17: 28. Et de nobis dictum est, à Sancto Johanne Baptista, Job. 3: 27. *Homo non recipit quicquam, nisi datum fuerit è cælo.* Et à Christo Domino nostro ita informamur, Job. 15: 5. *Sine me nihil potestis.*

XVIII. Declino spontè, quid homo in sui salutem aut conferre, aut operari queat; & quæ Dei circa hominem æternè beandum Providentia sit. Hoc addo, Deum Salvatorem nostrum agnoscere nos oportet; atq; ita res moderari nostras, *nè robur nostrum pro Deo ponamus.* Hab. 1: 11 præsertim in salute nostra. Salus namq; ex Deo est, illumq; sibi servat titulum, quòd sit Salvator.

A 4

XIX. Con-

XIX Confero me ad illa, quæ statum hominis vitæ præsentis concernunt, quoad scopo meo propius accedam: Hominem in vita sua in fortunis ac infortuniis definitè esse à Creatore suo circumscriptum; totum & quantum in rebus suis sive secundis, sive adversis, à suo Creatore dependere; nutui illius ac arbitrio tantopere subesse, ut si quid sua in præsentis vita pro voto habeat, si facies rerum noverca sit & adversa, id quoq; ipsum (: Deum humili in subjectione adorando. ) Dei accuratè Providentiæ attribuat. His de monitis ista adduco Spiritûs in Scriptura loquentis testimonia: S Paulus Apostolus ad Populum Lystrensem tali uti ut præconiò, unde Barbari isti advertant, Deum Creatorem Cæli & Terræ adorandum. Actor. 14: 17. *Qui aetatibus præteritis* (: licet Gentes passæ sunt in viis suis incedere: ) *non passus est se experiem esse testimonii apud Gentes, bona tribuendo, dedit illis pluvias, ac præstituta tempora fructibus proferendis: implens cibò ac delectatione corda ipsorum.* Exul ille, ob fratris odia ac minas Patriarcha Jacob, optimè à Deo bonis in peregrinatione sua cumulat, sic recognoscit. Gen 32: 10 *Deus Patris mei Abrahami! Impar sum omnibus his beneficiis, totiq; illi fidei quam præstitisti servo tuo: etenim baculò meò solùm transiveram Jordanem istum; nunc autem Dominus in duas acies effectus sum.* Annam audi Prophetissam: 1 Sam. 2 7. *Jehova depauperat, & ditat; deprimit, etiam extollit.* Regium solùm addam Prophetam, nè Prolegomenis diu inhæream: Qui Psalmo 75: 6. infantiensibus hoc præ-

buit

buit consilium. *Ne extollatis contra excelsum cornu vestrum, nè loquamini collò durò; non enim ab exortu, aut ab occasu, aut à deserto est exaltatio; sed Deus Judex hunc deprimit, hunc exaltat.*

XX. Quæ cum ita, se habeant; quis non promptè concludat, in ortu quoque suo, sicut & in exitu, hominem à Creatoris ac Conservatoris libero arbitrio pendere? *Nasci hominem, quum Deo visum est, eum obtegere in utero Matris suæ.* Psal. 139. v. 13. *eumque formare in abdito, atque artificiosè conficere in imis partibus terræ; usque adeo, quòd massam hominis videant oculi ejus, inque libro ejus hæc omnia scripta habeantur, à diebus formatio- nis, quum nondum ullum ex illis, i. e. membris existere.* v. 15: 16. Quæ thesis inde quoque vim accipit, quòd homo existere aliter queat nullatenus, nisi Spiritus in medio ejus formetur; *formatur autem spiritus in ipso, ab ipso Deo, ut habes Esai. 42 5.* Unde Pater Spirituum omnis carnis nominatur, Num. 16: 22. Hebr. 12 9. Ita in primi Hominis creatione luculentum præstitum est argumentum, hominem secùs animal vivens esse nequivisse, nisi insufflatò in nares ejus spiraculò vitæ. Gen. 2.

XXI. Sed, si in exortu suo homo à Deo suo ita definitus est; quid de exitu ejus judicabit sana Ratio? An cadet homo sine Dei voluntate, si ipsi *passeres non cadant?* Matth. 10: 29. imò nec capilli quidem nostri, qui in numerato sunt apud Deum. ibid. v. 30. Talisne, ô homo! Deus tuus Imperator cluet, qui tibi stationem fixit in vita præsentis,

A 5

tu ab

eu ab illa statione sine ipsius arbitrio pedem referes? Ingressus es presentem mundum, ipso tuum definiente ingressum; exhibisne eò non jubente, aut volente? Ad quæ eò sine bene animadvertas animum; ut possis & majorem Creatori attribueres gloriam; & te ad submissiorem dependentiam ab illo potius sis disponere; illum reverentius adorare; vitam ab ipso expectare, necemq; timere ab eodem. Quibus in rebus melius te ut informes, en accipe quædam testimonia Spiritus Sancti in S. Scriptura loquentis. Primi Mundi ætas à Deo circumscripta apud Moysen sic legitur: Gen. 6: 3. *Erunt dies ejus, (: hominis :) centum & viginti anni.* En annos vitæ hominis definitos esse! Jobum autem Patriarcham audi sic loquentem, cap. 14: 5. *Decisi sunt dies ejus (: hominis :) numerus mensum ejus est tecum; limites ejus fecisti, & non transibit.* Versu autem sexto, confert dies hominis cum diebus mercenarii, in certos terminos conducendi: At quid loquemur de Principis salutis nostræ vitæ termino, qui definitò Dei consilio determinatus fuisse, ex his locis subjiciendis intelligetur? *Post 62 septimanas excindetur Messias,* Dan 9: 26. Ipse autem Christus Dominus, Salvator noster, definitas à Patre fuisse & mortis, & glorificationis suæ horas discrete prodit *Johan. 12: 23, 27.* Adde, quòd multis è testimoniis Spiritus Sancti constat, consiliò ac prædeterminatione Divinis temporibus, rebúsq; modò, terminúmq; positum esse. Vide *Gen. 15: 13, & 16.* item *Dan 9: 24.* Claudat præsentem nostram Thesin, præclarus Apostoli Sermo, Actor, 17: 26.

*Fecit*

*Fecit ex uno sanguine (: Deus :) omnem Gentem habitare in omnem superficiem terra; definiens præstituta tempora, & limites habitationis ipsorum.* Ex his videmus, stare cuiq; diem. Néque enim sine Providentia, & Decreto Dei homo moritur; communis lex omnes ad necem trahit; libera voluntas ac sapiens Dei dispositio, vel jústa ordinatio, huic & illi finem modúmque lethi ponit.

XXII. Scrupulum contra proximam Positionem fors faciet, crucemque figet; quòd quorundam vita & longiorem in usuram promotà sit, & quidam dies suos suâ culpâ abbrevient. Huc adduci potest imprimis exemplum Ezechia Regis Jehudæ, cujus anni prolongari, ac decem & quinque annis aucti leguntur, *Esa. 38: 5.* Regius autem Prophetà David, disertè canit, *improbos nè dimidium quidem vitæ suæ implere,* Psal 55 5. ult. Accedit ad hæc Experientia; quæ mille præbet exempla eorum, qui moderatòne, temperantiâ, aliisque bonis vitæ subsidiis, vitæ suæ prolongationi prospexere: Sicut & aliorum, qui temeritate, in temperantiâ, luxu, multisque aliis modis, lethi sui tempus acceleravere. Hic jam probè informandus es, pie Lector, nè ab uno extremo ad aliud extremum tuum declinet judicium; non enim sunt illa *'arv'sata, quæ simul stare non possint.* Spiritus in Scriptura loquens sibi ipsi contrarius non est. Utrúmque sanò sensu oportet esse verum; stare nimirum ex Dei prædefinitione suam cuique diem; & simul quorundam dies prolongari; aliorum verò abbreviari. Nam, quòd Ezechia Regis exem-

emplum attinet; ex eventu patuit, non decrevisse Deum tum mori, Ezechiam; sed, mortis sententiã denuntiã, ad contritionem ac dolorem salutarem, p̄m̄ve in Deum, zelum excitari: ut denuntiatio illa mortis, Regi per Prophetam facta; non fuerit prædestinationis, sed comminationis; non fuit absoluta, sed conditionalis; ut rectè Vir quidam Doctus monuit. Hinc igitur processum Deo visum fuit facere cum Rege, denuncianda erit imminens ipsi mors, morbúsq; lethalis ipsi immitendus, ut zelus Regis his mediis acueretur, sicut & factum; sed, quid deinceps facturus esset Deus cum Rege? in profundo. Der consilio latebat. Dies ergo vitæ Ezechia Regis superadditi, perinde ad reliquos ejus vitæ dies addendi sunt; qui simul sumpti, faciunt terminum vitæ Regis, Dei definitione determinatum. Sed quid? Nonne hoc ipsum pro argumento erit, vitæ hominis terminum a Deo determinari, quandoquidem 15. annos non transgrediendos, pro arbitrio suo concedit Regi, Summus Arbitrator? Sic multorum mors a Deo prænunciata esse legitur in Scriptura. *Deut. 3: 17. 2Sam. 12: 14. 1Reg. 14: 12.* Mitto sexcenta alia. Prolongatio ergo vitæ hominis in præjudicium præviæ ac certæ Dei definitionis interpretanda non est in omnibus locis, in quibus de illa in Scripturis mentio fit.

XXIII Sicut nec abbreviatio vitæ quorundam tollit prædeterminationem termini vitæ hominum; abbreviantur enim quorundam dies, non comparatè ac relatè ad decretum Dei, sed *aut* respectu Causarum

sarum secundarum, & constitutionis naturalis, juxta quam diutius vitam protrahere potuissent; nisi justò suò judiciò Deus eorum vitam abrumpere voluisset: ita *homines sanguinarii non implent diuturnum dierum suorum*, *Psal. 55: 24 & improbus moritur tempore non suò*, *Eccles. 7: 17. aut* comparatè ad alios: ut, qui honorat Patrem, comparatè ad eum, qui Patrem ac Matrem non revereatur, longiorem usuram vitæ habet, pietatem illam tali præmiò remunerante Deò; Patris verò ac Matris contemptores brevior, secundum terminum tamen a Deo positum, *Exod. 20 12. aut* ratione voti ac spei ipsius hominis, qui maluisset, simulq; speravit vitam suam longius protrahendam. Si Ezechia mori contigisset, cum Peste affectus fuit; brevis admodum suæ spei ac ratione intentionis suæ in bonum Regni, ac Ecclesiæ præmeditata, vita ipsius visa fuisset; brevis, & ratione voti Regni ac Ecclesiæ, speiq; multorum de ipso bene conceptæ. Mitto alia. Spartam hanc Docti nostri Viri satis superq; exornavere

XXIV. Addi nunc possent, media vitæ prolongandæ inservientia, ut & modi, quibus breviores efficiuntur dies hominum; sed brevitatis studium impedit amplius exspatiari. *Unum, tristem, grave, ac acerbum* adduco modum, quò dies hominum intempestivè abrumpuntur, abbrevianturq; Pestem scilicet; de qua nunc sequentur nostræ Positiones, atq; Theles.

THESIS I.

De Etymo vocis Pestis.

Vocabulum Pestis ad res noxias depingendas adhibetur: דָּבַר & λοιμός, apud Hebræos & Græcos

emphatica sunt.

DECLARATIO THESIOS.

**P**estis vocabulum admodum simplex est; nec, quod sciam, ab ulla origine derivandum traductum tamen est vocabulum illud ad res noxias emphaticè exprimendas. Homo namq; Patriæ exitialis, Pestis est Patriæ, ut *Catilina*, quâ phrasî malæ fidei ille Causidicus *Tertullus* sanctum Paulum Apostolum injuriâ afficiebat coram Præsîde, Actor. 24. 5. *Hic homo est Pestis*. Vocabula autem Hebræa & Græca, quibus Pestis apud Hebræos & Græcos insignitur, ab alia origine deducta emphatica sunt, dignaq; quæ hîc obiter attingantur. Hebræis Pestis est דָּבַר *dhebbher* à radice דָּבַר Quod significat loqui. Pestis enim fortuitò non accidit; sed jubente Deò ac edicente miserum genus hominum invadit. Si autem ab ejusdem Verbi Conjugatione, *Pihel* dicta, originem arcessas; quandoquidem דָּבַר perdendi quoq; significatum habet, 2 *Paral* 22. § 10. non injuriâ Pestis *dhebbher* vocabitur; habet enim vim perdendi: unde & cum exitio conjungitur, *Psal.* 91. 6. Græcis Pestis est λοιμός à verbo λείπω deducenda; facit enim homines deficere.

THE.

THESIS II.

De Natura Pestis.

Natura Pestis ac formalis ratio in quo consistat, etiam sollicitè investigando nescitur.

DECLARATIO THESIOS.

**T**hesis à nobis posita, Magnis illis naturæ Ruspatoribus, & ab experientia ad miraculum informatis Physicis, ac Medicorum Filiis minime esto præjudiciosa; hac de re namq; Theologi ita loquantur scribuntq; sicut alia judicia inter Divina, hoc imprimis est *imperscrutabile*, Rom. cap. 11: 33. Causa enim naturalis, & definita anxie queritur; nec tamen quid hætenus monstratur, quàm indefinitè occulta qualitas, & venenum quoddam agnoscitur. *Sennertus*, Magnus ille Philosophus ac Medicus, ingenuè in hac re se declarat: "Qualis sit Pestilentialis veneni natura, & quæ ejus in qualibet pestilenti constitutione differentia, nemo hætenus satis explicavit *Libr.* 4. cap. 1." *Julius Cæsar Scaliger* talia esse ista asserit, quæ latent animos temperatos, illudant curiosos. Non ineptè igitur *Philibertus Marchinus* Theologus Pontificius, speculationi suæ de Peste Titulum belli Divini præfixit, inquiens: "Ea viget apud vulgares homines stulta depravatq; opinio, ut si Urbs aliqua, aut Provincia, Pestilentia quandòq; afficiatur; ejus originem, terram potius quàm coelum aspicientes, vel in solas referunt naturales causas; vel in humanam aliam peculiaris eventus causam". Possent adduci sine numero hujus rei testes; sed, si testes nulli adessent, quando

quando *positivum* nullum remedium usq; ad hoc tempus inveniri potuit, argumento est, neq; naturam Pestilentiae à sagacioribus quibusq; declarari potuisse. Agnoscit simul Gentis nostrae incomparabilis ac Excellentissimus Physicus & Medicus D. D. S. K. E. R. G. T. I. S. in Admonitionis suis: *specificum & positivum remedium contra Pestem, quod certò conducatur, hætenus inventum non esse*. Hinc sequatur Thesis Tertia illico proponenda.

THESES III.

*Describi igitur Pestis potest; definiiri autem in natura sua nequaquam*

DECLARATIO THESIOS.

**I**N descriptione Pestilentiae, qualis illa sit, & quibus ex causis oriri possit, præmitto mihi Physicos; tum Theologus ex Verbo Dei, in adorationem Numinis, descripturus sum. *Ficinus, Magnus ille* magnarum Thesium de Peste positor, his verbis Pestilentiam describit: "Est venenosus quidam vapor, in aëre concretus, vitali inimicus spiritui, non quod propter elementarem causam aliquam sibi contrariaretur, sed specificam quãdam proprietate; non tamen ut secundum formam sit venenum, nam omnes interficeret, sed ut quæ facile in veneni naturam transeat". *Cornelius à Lapide*, subtilis ille Commentator, magnorumq; Voluminum confector, eandem habet terè descriptionem Pestilentiae. Nos ex verbo Dei Pestem sic describimus; quod ea sit *Manus Dei*, Exod. 9: 3. 2Sam. 24: 16. *Gladus Dei*, 1Chron. 21: 16. *Sagitta Dei*, Psal.

91: 5. puniendis hominum peccatis, usq; castigandis immissa. *Josephus Antiq. Libr. 7. cap. 10.* sic describit; *quod Pestis sit malum, Regibus ac subditis commune, in quo omnibus par morbus imminat.*

THESES IV.

De Speciebus Pestis.

*Pestis species variae.*

DECLARATIO THESIOS.

**P**ositio de Speciebus Pestilentiae necessaria est; cognoscere enim nos oportet, Peste non solum homines affligi miserè; sed & animalia, ipsasq; feras; ut homines apud se cogitent, posse ipsos etiam in bonis suis puniri ac castigari. Sic immissarum Aegypto plagarum una fuit, Pestis in pecora manu Dei immissa, Exod. 9: 3, 6. quam plagam sic extollit Asaphus, sublimi quãdam Oratione in Psal. 78: 50. *Bestias eorum pesti dedit*: nostrò autem presenti ævò alternabant hominum & bestiarum pestes, quasi, junctò scedere, ulticis Dei manus instrumenta se fore conjurassent.

THESES V.

De differentia Pestilentiae.

*A Plerisq; sub Veteri Testamento Pestibus, nostrò ævi Pestes discriminandae sunt: intèrq; nostrò ævi Pestem, ac quasdam Veteris ævi magna differentia quaerenda est.*

DECLARATIO THESIOS.

**A**gnoscimus ex plurimis Veteris ævi exemplis, & Sacrae Scripturae testimonio: *Pestem* non omnem secundum causas naturales, &, ut nostrò ævò fit, non sensim ac gradatim prorepsisse; sed tanquam

tanquam malum quoddam *ἑπίλατον* subito à Deo  
 cœlitus quasi demissum fuisse, in pœnam hominum.  
 Primogenitorum unâ nocte in vasto Ægypti Regno  
 omnium per pestem excisio, causas naturales quas  
 habuerit, libenter docendus sum; nec aëris cor-  
 ruptio, nec contagium, nec hæc, nec illa natura-  
 lia exterminii media, quæ in modernis *Pestilentiiis*  
 visuntur, accessere. Angelus destructor derepentè,  
 five unus, five plures, immediatè stragem istam  
 horrendam, & toti Ægypto calamitosam, ac cum  
 valido clamore excipiendam confecere. Expediuit  
 Jehova Angelum destructorem: jussit per ipsum  
 homines enecari, & enecti sunt: Simile esto judi-  
 cium de centum octoginta quinque millibus, unâ  
 nocte ex Assyriorum exercitibus cæsis, 2Reg. 19:  
 35. Quam stragem *Josephus* *λοιμικὴν νόσον* apel-  
 lat; *Antiq. Libr. 10. cap. 11.* Etiam Pestis Davi-  
 dis tempore Israëlî immissa, 70 millia hominû bre-  
 vi tempore, utpote à mane ad prandium, (: ut  
*Josephus* Historicus determinat: ) conficiens; non  
 videtur per naturales causas operata fuisse: imme-  
 diatè Deus per Angelum suum stragem istam con-  
 fecit: Veteri enim Oeconomîæ admodum conveni-  
 ebat, judicia Dei per Angelos exerceri, ut vindic-  
 es Legis; teste enim Apostolò ad Hebr. 2: 5.  
*Seculum illud Angelis subiciebatur, ut sermo per  
 Angelos traditus firmus esset, omnisque transgressio  
 & contumacia justam mercædis retributionem habe-  
 ret, ibid. 2.* Quod tamen ira accipi non debet,  
 quòd in populo Israëlîtico sæpiùs peste castigato na-  
 turales causæ non intercesserint; ut quidem ex mi-  
 nis

nis Dei per Prophetas denunciatis benè liquet.  
 Nostro autem ævò per naturales causas quoque  
 Pestem operari, vero proximum est, ut judicemus:  
 sed causæ illæ, earumque operandi modi plerumq;  
 nos latent; ut tantò magis admiratione, Relligi-  
 one, & metu judiciorum Divinorum excitari di-  
 camus; quod *Magi Pharahonis* de pediculis; *Ecce  
 digitus Dei iste!*

Occasionem igitur pestilentie aliquando dat  
*terra motus*; aliquando *aëris siccitas & calor*;  
 ( quem & in recrudescente nostri anni 1719. Peste  
 licebit pro causa, five occasione interpretari: ) ali-  
 quando *humiditas* (: in Peste nostra anni 1710. *Clau-  
 diopolitana*, ex quotidianis per intervalla deciden-  
 tibus pluviis, mox solis calore excoquendis, vires  
 eundo acquirebat Peltis: ) aliquando *frigus*; ali-  
 quando *fames* (: quam etiam in recrudescente Peste  
 anni 1719 causam aut saltem occasionem Peltis ex-  
 titisse, experientiâ didicimus: ) aliquando *aquarum  
 constitutio*; aliquando *venenatio, five animalium, five  
 vegetabilium, five fossilium halitus*; aliquando *aër  
 inclusus; sæpè nulla talis occasio comparet.* Est pro-  
 babilis Relatio, tradente nostro *Gisbertò Voëtio*;  
 " quòd *Prothasius Rovellus*, vidit panem recentem  
 " nocte aëri expositum, non solum mucidum fa-  
 " tum; sed totum scatuissè vermiculis, tantam tunc  
 " fuisse aëris putredinem". Quicquid sit; potest  
 Deus, ut *Vir* præclarus scribit, five immediatè,  
 five mediatè per causas inferiores ac naturales, eas  
 alterando, immutando, commiscendo, Pestem effi-  
 cere; potest hoc & illò modò; *námque uti vitam &*

*mortem Deus immediatè inferre potest, vel mediatè ordine ac causatione naturali: ita & morbos, & Pestem demique.*

THESES VI.

*De differenti operatione Pestilentiae, nostrò & Patrum avò comprobata.*

DECLARATIO THESIOS.

**T**HESIN præsentem declarabunt, erudita nostri Theologi Gisberti Voëtii verba; qui in suo *Tractatu de Peste*, ita scriptò suò rem tradidit: "Est Pestis, quæ pecudes, non homines, & vice versâ inficit: Est rursùm, quæ hos Populos, non alios; quæ Populos alios frequenter, alios rarissimè; alios nunquam, ut de *Nigritis* testatur *Scaliger*: Est & quæ divites magis, quàm pauperes, & vice versâ; rursùm foeminas magis, quàm viros, & contrà; juniores magis, quàm senes," (: ut in *Peste nostra anni 1719.* observari potuit: )" eos qui nunquam" (: hujus quòque exempla visa sunt: )" aut rarò ad peste infectos accedunt; quàm eos, qui perpetuò illis adsunt; eos, qui fugiunt magis, quàm qui in medio incendio subsistunt; ad hæc robustos & sanos magis, quàm afflictæ & dubiæ valetudinis.

THESES VII.

*De Causa efficiente Pestis.*

*Causa Pestis Efficiens Deus est.*

DECLARATIO THESIOS.

**U**T in omnibus rebus Dei partes ubique supremæ sunt; qui Providentiâ suâ omnium, quæ fiunt, Gubernator est; adeò, ut nè quidem passeret *cadant*

*cadant in terram sine ipso*, Matth. 10: 29. imò nec *capilli* quidem nostri, ibid. & 30. ita maximè oportet nos agnoscere Pestem ab ipsius manu esse, qui omnium malorum, sive afflictionum in genere immissor est; adeo, ut *Amos* attestante, non sit malum (: afflictionis scilicet: ) in civitate, quod Deus non efficiat, Amos. 3: 6. Hinc minæ Dei: *Immittam vobis pestem*, Lev. 26: 25. Claudat hæc insignis *Habaccuci* locus, cap. 3: 5. *Antequam ipsum pestis, & præcessit anthrax ad pedes ipsius.* Res per se clara est.

THESES VIII.

*Ergo potest Deus quæ immediatè, quæ mediatè Pestem efficere.*

DECLARATIO THESIOS.

**P**ESTIUM immediatè immissarum exemplum sunt: *Pestis Ægyptiorum; Exercitus Assyriaci; Pestis Israël* propter *Davidis* peccatum immissa *2Sam.* 24. Talis quòque futura erat *Pestis Israël* usque ad internecionem totius Gentis mox immittenda, nisi precibus *Mosis* Numinis ira placata fuisset; *Num.* 14. Quòd Angeli sint adhibiti, immediatæ Dei operationi non præscribit.

THESES IX.

*Ad instigendam Pestem, Deum, Angelos bonos, malosque, adhibuisse certum est.*

DECLARATIO THESIOS.

**B**ONUM fuisse Angelum, cui exercitus *Assyriaci* strages à Deo commissa fuit; & strages 70. milium in *Israël*; ex locis citandis, benè intellectis constabit. *2Sam.* 24: 16. *1Chron.* 21: 19. At verò malum Angelum adhibitum fuisse, ad *Ægyptiorum*

orum Primogenita unâ nocte excindenda, multo-  
ram est opinio; ( : *Lyranus, Abulensis, Marchinus:* )  
& hoc quidem vero simile est, tùm quia constat &  
pios per Satanam castigatos fuisse *Inde Jobi*  
*damna & ulcera; inde plurimorum vexatio, præ-*  
*sente etiam Christo, & miseris cum morbis confli-*  
*ctatio: Inde Pauli Apostoli colaphizatio, & stimu-*  
*lus, 2Cor. 12: 7. Inde inobedientium in Primi-*  
*tiva Ecclesia ad castigationem corporis, Satanae tra-*  
*ditorum, verberatio; 1Cor. 5: 5. Denique ex*  
*Psalmo 78: 49 idem constare potest: Immittebat*  
*Deus ( : scilicet in Ægyptios ) missile, sive sagit-*  
*tas Angelorum malorum. Beatus noster Calvinus*  
*nobiscum judicat, inquit: Videntur Ægyptii in*  
*malorum Angelorum traditi potestatem: inde etiam*  
*Angelus occisor vocatur; Hebræorum lingua*  
*המַשְׁחֵתִים *hammaschehitb, Exod. 12: 23. Ita namq;**  
*decebat; ut Deus Angelos malos ad Ægyptum*  
*vexandam adhiberet; nam Angeli boni magis sunt*  
*ministri bonorum, quàm malorum, inquit b. m.*  
*Coccejus. Addo, quòd; quando harum rerum*  
*typi attendendi sunt, hæc consideratio multò ad-*  
*jumentò esse potest; siquidem Angelus destructor*  
*postes Israëlitarum sanguine agni Paschalis tinctos*  
*ingredi, stragemque ibi facere non potuit: nempe*  
*præsignificatum est; Diabolum non nocere illis,*  
*quorum corda sanguine agni veri Paschalis*  
*tincta sunt.*

THESES X.

*Mediatè per causas naturales frequentius, præ-*  
*sertim hoc nostrò avò Deus efficit Pestem.*

DECLA-

DECLARATIO THESIOS.

EX nostro *Gisberto Voëtio* satis prolixè ad decla-  
rationem Θεσιος Sextæ, causas pestilentiaæ na-  
turales descripsimus; hoc tantùm superaddo,  
quod ex insigni commentatore *L. Lavatero* habeo  
in Commentationibus ad *Ezech. 14: 19* ubi ver-  
ba Dei pestem interminantis, ad vim vocis Hebrææ  
optimè reddit: *Pestem si immisero in terram, ef-*  
*fundam iram meam super illam in sanguine; ad ex-*  
*scindendum ex illa homines & jumenta. Quæ verba*  
*"ita παράφρασις. Vir Doctus: "Effundam in san-*  
*"guine, i. e. corrumpendo sanguinem": Efficit*  
*enim Deus, quòd per aëris intemperiem sanguis*  
*hominum corrumpatur; sed si nullum in sanguine*  
*vitium esset, spiritus tamen vitales infici possent.*

THESES XI.

De causa Pestis meritoria.

*Meritoria Causa Pestilentiaæ sunt hominum*  
*varia peccata.*

DECLARATIO THESIOS.

EPidemicæ oportet esse peccata, quando veren-  
dum Numen tam severò cæstigmat homines pol-  
lice; certè enim, Deo ita proloquente apud *Esaïam,*  
cap 27: 6. *Ipsi non est astus ( sic nec judicium ) nisi*  
*quis eum induxerit, ut cum sente & vepre prælium*  
*ineat; quod ubi fit, pedibus suis in vepres ingressus,*  
*succendit spinas vepresque. Tu Benevole Lector,*  
*fontem, i. e. Hebræum sermonem in citato loco*  
*benè premas. Quæ autem peccata ad hoc flagel-*  
*lam in homines vibrandum Dei manus provo-*

cent, difficile est aliunde determinare, nisi ex ipso Verbo Dei; quod nobis specifica quædam privatorum totiùsque Communitatis peccata in exemplum dat.

Discimus (1.) ex 2Sam. 24. causam Pesti Principem ipsum Davidem præbuisse; qui quadam ex ambitione Populi sui multitudine exultabundus, regnum suum conscribi iussit. Sic & *Senacherib*; cuius & blasphemix audita sunt; 2Chron. 32. Efficit namque Deus, quod Reges ac Principes, magnorum territoriorum ac multorum populorum Domini, luant in ea sui boni parte, in qua gloriam suam admodum collocant. (2.) Accedit incolarum terræ securitas carnalis; præsertim inter otia & quietem; comèsque securitatis luxus: horumque nepotes, quales sunt fastus & pompa vitæ; quibus, cum Rege suo Davide, & Populum Israëliticum Deum provocasse, facile esset demonstratu. (3.) Oppressio bonorum; juris violatio; coedes innoxiorum, ad hoc iudicium Deum provocant; ut patuit in Peste Ægyptiaca, quando Dei Populus male fuit habitus apud Ægyptios. Ex *Gisberto* nostro *Voëtio* transcribo, qui ex *Plutharco*, de sera *Dei vindicta*, exscribit, (: Plutarchi Exemplari non destituimur: ) quod *Delphii* ob interfectum *Æsopum* fame, peste, teterrimisque morbis percussii sunt à Diis. (4.) Si Dei Verbum, si inde natæ adhortationes contemnantur, & temerariæ fiant Verbo Dei hominum oppositiones, ac homines in corde suo idolum erigant; ingratitude illam inter alia iudicia, pœnâ pestilentix mulctat Dominus

minus: quod intelligi ex locis nunc addendis potest: *Fer. 29.* ubi prænunciatur Judæis & 17. quod *Jehova exercitum immisurus sit in eos gladium, famem, ac pestem.* Causas autem Divinæ severitatis exercendæ passim in eodem Capite reperire licet plurimas: & 19. quod *non auscultaverint verbis Jehovæ, cum miserit ad ipsos servos suos. Prophetas à diluculo indefinenter, & non auscultaverunt.* Ezech. autem cap. 14. & 6, & 7. comminatur Pestem Deus Judæ, propter abominationes receptas idolorum. (5) In Ecclesia *Corinthiaca* Pestis causa fuit, ut ex 1Cor. cap. 11. intelligere est; malè cohærens Ecclesiæ, ac per schismata in varias partes distractæ status; ebriorum in Ecclesiam, etiam occasione *S. Eucharistia* sui ingessio; pauperum contemptus; ac deniq; communicantium iusta sui non exploratio. Plures causas Casuista dabunt.

### THESIS XII.

*Causa Finalis Pestilentia est; sanctitatis Divina per iudicia exercenda demonstratio; hominum ad agnitionem sui reatûs adactio; eorundem tali gravi mediò ad resipiscentiam commonesactio; fidei, fortitudinis, charitatis proximo debita exploratio: in summa, pietatis in Deum, & charitatis in proximum valida hominum excitatio.*

### DECLARATIO THESIOS.

**S**ummè sapiens Deus, nihil circa omnes creaturas operatur; nisi fine bonò, sanctitati suæ benè correspondenti, creaturisq; suis utili: certè cœlestis Aula atque admodum intimum *Sacro-Sanctæ Triados* consilium, nihil de rebus humanis præ-

viè disponit; nisi ut primò cedant omnia in justì Numinis gloriam, & adorationem, & excitandum inter creaturas timorem sui, sic enim legas: *Prov. 16. v. 4. Omnia operatur Deus propter se, Sicut & ad Rom. cap. 11. legere licet; ex Deo sunt omnia, & ad Deum.* Vult igitur severò Pestilentis contagii judiciò excitari homines, ad suæ sanctitatis considerationem; ne putet peccator ipseus nequitias Deo in deliciis esse; & ab eo approbari: Qualem stultam cogitationem hominum ipse Dominus Jehova reprehendit, *Psal. 50. v. 18, 19, 20, 21. Simulac vides furem, acquiescis ei, & cum adulteris est portio tua. Os tuum adhibes ad malum, & linguâ tuâ concinnas dolum: Sedens fratri tuo obloqueris; in filium matris tuæ edis infamiam: Hac te faciente; quia agebam surdum; cogitas me prorsus esse similem tui; arguo te, & dissero in oculis tuis; vertente Junio.* Præterea tristi, ac tam gravi mediò timorem sui excitare vult Numen vindex, ut habes *Esa. cap. 26. v. 9. Cum judicia tua extant in terra, justitiam discunt incolæ orbis habitabilis.* Addo, quòd, si Epidemica non extarent in perverso hoc genere humano judicia; eo quòd magnam securitatem promittat in omnem profanitatem sibi, profanorum mundus; quòd fœdus Deum iniisse intelligat cum genere humano; quando in Noachiso fœdere constantem fecit Dominus compromissionem se ampliùs aquis inundare nolle mundum; exinde nullò negotiò colligerent homines profani, ac lascivi; quasi ne quidem ultimum judicium ullum exercendū esset: Quorum profanitatem graphicè

phicè depingit Petrus Apostolus 2. Epist. cap. 3 & 4. Sunt dicentes; *ubi est pollicitatio adventus ejus? nam ex quo die Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis: Illud enim volentes ipsos fugit, cælos jam olim extitisse per Dei sermonem, & terram ex aqua, & in aqua consistentem. Quamobrem is, qui tum erat mundus aquâ inundatus, periiit.* Proinde quando Dominus juratam fidem suam servans, quòd ultricibus aquis, hominum cum suo Spiritu disceptantium, & carnalium, profanitatem & peccata, nollet ampliùs vindicare; justum erat pro aquis ultricibus, tria admodum universalialia, & delendis hominibus è terra, quasi inundationi universaliali paria, substituere; bellum, famem, pestem denique; quibus mediis excitet homines, nè quisquam profanus oggerere possit: *Ubi est dies judicii Dei?*

Hominum autem respectu finis Dei in immissione Pestilentia: est; vindicare peccata præfractorum, atque punire; simul excitare ista castigatone ad conversionem, ut timeant Deum; quam Dei intentionem legas apud Prophetam Amosum cap. 4. v. 10. *Misi in vos Pestem pro ratione Aegyptiorum, interfeci gladiò Juvenes vestros; adjunctâ captivitate equorum vestrorum; fecique ut ascenderet fœtor castrorum vestrorum etiam in nasum vestrum; nec tamen conversi estis ad me.* Quo ex loco patet (centum possent addi) Deum judiciò suo Pestilentiali conversionem hominum velle promoveri. Sed me faciet ab hoc labore immunem Africanarum quondam Ecclesiarum magnum lumen Cypria-

prianus; cujus verbis, non solum defectum orationis meæ, sed & iudicii mei hac in re imbecillitatem explere volo: Ejus verba aurò chariora habita sunt à Viris Doctis; quæ habentur in Sermone ejus de *Mortalitate*, quæ tibi nunc communico.

” Pavore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi; constringuntur remissi; excitantur ignavi; desertores compelluntur, (: desertores in Primitiva Ecclesia nominabantur, qui à fide Christiana ad Ethnicos vice novâ defecerunt: ) ut redeant; *Gentiles* ut credant; verus fidelium populus ad quietem vocatur: ad aciem recens & copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis, cum prælium venerit, qui ad militiam mortalitatis tempore accedit. Quid deinde illud, fratres dilectissimi! quale est, quàm pertinens, quàm necessarium, quòd Pestis illa & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat justitiam singulorum, & mentes humani generis examinat? An infirmis serviant sani? an propinqui cognatos piè diligant? an misereantur servorum langventium Domini? an deprecantes ægros non deserant Medici? an feroces violentiam suam comprimant? an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem, vel metu mortis extingvant? an cervicem flectant superbi? an audaciam leniant improbi? an pereuntibus charis vel sic aliquid divites largiantur, & donant sine hærede morituri? Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis & Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere: Exercitia sunt nobis ista, non funera, donec animò fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant coronam.” *Hactenus Cyprianus.*

”benter appetere, dum mortem discimus non timere: Exercitia sunt nobis ista, non funera, donec animò fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant coronam.” *Hactenus Cyprianus.*

THESIS XIII.

De Effectis Pestilentiæ, & Concomitantibus.

*Admirabilia, & stupenda sunt Pestilentialis virulentæ effecta quæ visuntur; tum in operatione admodum cita, ac brevissima sub termino homines sufflaminante; tum in amplissima ejus strage; tum in connexis, ac concomitantibus.*

DECLARATIO THESIOS

Mireris *Lector*, quòd contagium Pestilentiæ ferè omnes orbis partes pervadere assoleat; ut, quòd sciam nulli populi immunes esse possint à Peste, nisi *Nigritarum* Populos excipias; (: si vera sit traditio *Scaligeri*: ) ita tamen, ut hos populos frequentius, alios rarissime invadat. Mireris simul, quòd brevi tempore maximam stragem efficere valeat. Nam ut *Agricola* de *Peste* scribit, ”Octoginta homines momentò temporis ex multitudine ad sacrum convocata interiisse, sine ulla notabili alteratione prævia”. Adde, quòd homines benevalentes intra sex aut octo horas, imò & citius interimat; quod *Cardanus* in *Peste Mediolani* Anno M.D.XXIV, grassante refert & observat. Mireris stragem ejus amplissimam; quæ sæpe aut orbis partem dimidiam, aut urbium, civitatum, vicorum pariter dimidiam, si non majorem partem humi prosterat. Dabo exempla: *Eusebius* in *Chronico* tradit, sub *Vespasiano* Roma quotidiè Pestis

Pestis 10000 millia hominum tollebat. Sub Leone Isaurio totos quinque annos ira grassabatur; ut dimidiam hominum partem abstulerit. Magna etiam strages tum facta est, cum *Benedictus Octavus* Pontifex, Romanae sedis praerat; qua de re *Platina* ita scribit: "Tanta praeterea eo tempore (: scilicet sub *Benedicto Octavo* :)" Peste laboratum est, ut plures mortui, quam superstites sint habiti; quam quidem calamitatem in *Lotharingia* fons saluberrimae aquae indicavit, in sanguinem tum conversus" Haec *Platina*. Non parvam & in Nostra Provincia stragem fecit virus Pestilens Anno 1719. recrudescens, nam (: si in supputatione erratum non est ) centum millia superant interfecti. Fortiter & passim Pestis grassata per orbem est eo tempore, de quo *Euagrius Historicus* scribit, *Ecl. Historia Libro 4 Cap 28.* quod 52 per annos diaram commisit stragem lues contagiosa circulatione facta, ad loca habitationis hominum nunc rediens; nunc iterum pedem inde referens.

Si vero connexa, ac concomitantia illius mali consideraverimus, magnum nobis adferent stuporem; siquidem varia morborum, & symptomatum genera cum Peste conjungi soleant; puta: "Oculorum privatio, deliria, febres, vigilia, somnus profundus, oris ulcera, angina, pleuritis, vomitus, carbunculi, diarrhoea, phrenesis, & insania". *Euagrius*, in Libro supra citato; connexa Pestilentiae cum emphasi describit. Sed si vellem paria facere cum *Euagrion*, possem a Peste 1710. initium faciente dolenda ac misera Pestilentiae connexa

nexa ad stuporem ostendere: Sed Commune malum, communia effecta habet; sicut & morbi admodum communes, ferè & symptomata communia.

#### THESES XIV.

De quadam proprietate Pestilentiae specificae.

*Experientia teste, Pestis est contagiosa; quod quae Medici & Physici nostrates, & aliorum; quod Theologi nostrates, aliorumque, & agnoverunt, & Scriptis suis ad ravim usque inculcarunt.*

#### DECLARATIO THESIUS.

Positio nostra de contagio Pestilentiae paradoxam videbitur obsessis ab opinione prava ingenii, praedictisque praecipue. Jamque praesentisco delicatis multis animis (sed certè ab eruditione non optimè instructis) sinistrae opinionis & fortè calumniosae obtreptionis materiem suppeditaturam esse Positionem nostram. Ego malo cum Doctis insanire; quam cum indoctis sapere velle. Sic ergo, *Lector*, accipe: Sistam tibi primò *Theologos*, & quidem *Nostrates*; quorum iudicio informari debeas; & si necesse foret, addam *Theologorum* Religionem a nobis discrepantium iudicia: Tertium fors Agmen erit *Medicorum* ac *Physicorum* turba.

Inter testes *Theologos* primum obtineat locum b. m. *Johannes Calvinus*; cujus iudicio informet se ingenium nobis oppositum: Verba habet cedro digna in *Epistola* sua 362. infra describenda; quibus satis se explicat, & contagium inesse pestilentiae, & licitum esse homini (nisi vocatio impediatur) se subducere contagioni *Theodorum Bezae*; alterum quasi sui seculi *Erasmum*, non contemnes procul

procul dubiò ; qui *Reformatorum Collega ac Collaborator* magnus exiit ; cujus verba in scripto suo de Peste ; accipe ab initio *Tractatus* ejus : " Quæstionem , sitne Pestis inter contagiosos morbos censenda , fateor mihi tam inusitatam videri , ut ante pauca hæc tempora nunquã dubitatum fuisse credam ; quin ea sit una ex omnibus maximè contagiosa judicanda : cujus rei testes omnes omnium gentium de istiusmodi rebus Scriptores , cuiusvis non contentioso Judices fero " . Mox infra idem sic habet : " Ego hoc paradoxum " ( : quòd scilicet pestis contagiosa non sit : ) " non magis probari idoneis posse rationibus arbitror , quàm si quis cum *Anaxagora* nivem atram esse contenderet " . Consequenter scribit : " Néque hunc morbum non esse contagiosum credam , donec me quispiam vel ex Dei Verbo , vel aliunde petitis rationibus certiora docuerit " . *Andream Rivetum* , *Ultrajectensis Academia* quondam lumen unum ex præcipuis , præsumo , quod honorabis : cujus verba multa adduci possent ex *Epistola de Peste ad Amicum missa* : " Pestem contagiosam esse , & se se communicare tanquam venenum aliquod , aërem , quem respiramus , inficiens , docent omnes Medicorum filii , nullò , quòd sciam , exceptò ; qui præter rationes , quas adhibent non paucas , nec invalidas , experientiam habent suffragantem " . Clarius ipsius mentem experieris , Lector , quando ipsius verba secessionem in Peste ( : infectionis evitandæ causâ : ) svadentia adducentur infra *Quartum audi Reformatum Gilbertum*

*bertum Voetium* ; qui licet Pestem , ut solet , scrupulosè investigat ; agnoscit tamen Pestis vim consistere in contagio , cujus mirabile est seminum . In hanc rem , respice *Guilielmum Perkinsium* , *Theologum Anglum* , in expositione Decalogi Sexti ; qui agnoscens Pestilentie contagium , indèq , suboriundam hominum infectionem , simul secessionem , sive fugam è loco contagioso , firmis rationibus urget : verba ejus ad sequentem Thesim brevissimè descripta accipies . Possent sine numero hanc in rem testes adduci *Reformati* ; Sed modò , unò *Hieronymo Zanchiò* etiam *Nostrate* , brevitatis causâ sumus contenti , qui de Peste acre quoddam certamen cum quodam præjudiciis imbuto Pastore inilit descriptit autem *Disputationem* illam , alternis Oppositionibus & Responsis constantè , ab uno quòq , etiam Erudito meritò legendam , in *Commentario ad 2 Caput Epistolæ Pauli ad Philip.* in *ψ.* 30. Verba ejus fortè dare licebit ad Thesim etiam sequentem . Non possum autem committere , ut *Johannis Hoornbeeck* judicium posthabeatur , qui quæstionem istam ; an Pestis contagiosa sit ? responsione rotundâ sit expedit : " Hoc " ( : i. e. quòd Pestis contagiosa sit ) " jam tot argumentis , exemplis , atq ; experienciis comprobatum est , ut de eo dubitare velle , hominis sit valdè ignorantis ; negare id præfractissimi " .

*Theologos* autem *Catholicos* pro nostra Thesi stantes , si adducere vellemus , deficeret nos tempus : horum tantum nunc fiat mentio . *Fus Canonicum* agnoscit contagium Pestilentie , cum apertè fugâ per-

permittit ex loco infecto. *Toletus, Lessius, Sanchez, Gabriel Biel, Ludovicus Berus, Claudius, Espensæus*: Sorbonicus Doctor, consuli; ut & Theologi Lutherani, possunt.

*Physicos, ac Medicos* experientissimos testes describere, esset operam abuti; de illis enim in hanc rem loquitur *Andreas Rivetus*, cujus verba adducta jam sunt: *Pestem contagiosam esse, docent omnes Medicorum filii, nemine, quod sciam, exceptio.*

### ANTITHESSES.

*Prima*: Pestis est *דבר*, à radice *דבר*: quod significat latè à Deo sententià, perdere: Ergo non est contagiosa.

*Secunda*: Est merum flagellum à Deo immissum immediatè: Ergo non est contagiosa.

*Tertia*: Pestis est *manus Dei, gladius Dei, sagitta Dei*: Ergo non ex contagio proficiscitur; cum neque manus, neque gladius, neque sagitta contagio vulneret.

*Quarta*: Pestis non ex naturalibus causis oritur; sed immittitur à Deo per Angelos: Ergo non est contagiosa.

*Quinta*: Pestis Providentià Dei singulari immittitur: Ergo non est contagiosa.

*Sexta*: In Peste à contagione excipi omnes, quos vità conservari Deus constituit; reliquis omnia loca esse contagiosa, i. e. ubicunque sint, eos mori oportere.

*Septima*: Si Pestis contagiosa esset, & præsertim ex aëre corrupto oriretur, omnes illi Peste corri-

corripi deberent, qui eundem hauriunt aërem; Atqui hoc falsum: Ergo &c.

*Octava*: Ægrotis affidentes, multi Peste non tanguntur; absentes verò corripuntur: Ergo non est contagiosa.

### SOLUTIO ANTITHESIUM.

*Prima*: Inde inferri non potest, naturales causas ad sententiã Dei non posse concurrere; nam & mortem, quæ non fit in pestilentia, Deus decernit; naturales tamen causæ per hoc non excluduntur: penes Dei sententiã igitur contagium locum habere potest, habetque.

*Secunda*: Hanc ita expedit Doctissimus *Hieronymus Zanchius*: Lepra in Israëlè fuit Dei flagellum; sed tamen contagio suo alios inficiebat.

*Tertia*: 1. Jam supra differentiam inter Veteris & nostri ævi Pestem ostendimus. Loca illa illas Pestilentias magis concernunt, quæ immediatè à Deo per Angelos immittebantur; nunc locutiones illæ pro *Metaphoricis* habendæ sunt. 2. David hostes suos *manu Dei* vocat, *Psal. 17.* à quibus tamen naturali ratione impetebatur. *Nos Dei manus fecerunt*, tamen naturalis generatio non excluditur. *Judicia Dei in Ægypto visa, manu ac digitis Dei* perficiebantur: e. g. grando erat *manus Dei*; naturalibus tamen ex causis ducebat originem.

*Quarta*: 1. Ab Angelis quoq; possent naturales causæ cieri in Peste; sed hodie Angelos adhiberi ad Pestem infligendam non demonstratur. Ergo causæ aliæ naturales à Vindice Deo adhibentur. 2. Etiam in Pestilentis *Veteris ævi* non in omnibus adhiberi

sunt Angeli. *Ezechias* Peste fuit correptus nullo Angeli ministerio; quæ Pests, quod ex naturalibus causis originem duxerit, Deo tamen infligente, inde certo constat, quod remedium naturale quôq; adhibitum est.

*Quinta*: 1. Ex singulari Dei Providentia Lepra in Israël oriebatur; fuit tamen contagiosa: Sic & morbi hodierni temporis contagiosi, quales sunt Scabies, lues Venerea, Elephantiasis, Providentiæ Dei subsunt, tamen contagiô suô inficiunt. Morbus Hungaricus, Phrenesis, (: Medici apel- lent ut volent,) dicta; ex causis naturalibus oritur, inficit tamen alios. 2. Providentia Dei non tollit causas secundas, *Hieronymô Zanchiô* ad *Æmulum* sic respondente.

*Sexta*: 1. Concedo eos omnes mori in Peste, nec alios, quos Deus Peste conficere decrevit; sed hoc non tollit causas naturales, inter quas est & contagiû: Nec tamen sequi, unum locum immunem non posse esse à contagiô, alterum autem validè infici. 2. Qui contagiosa loca declinat, & mortem hâc viâ evadere satagit, nondum novit, an locus receptui suo ab ipsomet electus inficiendus sit? sed ille officium suum in se conservando facit. 3. Ille idem, si se, contagiû evitando, salvare poterit, inde concludet se destinatum hâc vice morti non fuisse; namq; antehac occulta Providentiæ Divinæ ratio ipsum latebat.

*Septima*: 1. Præter aërem corruptum, & aliæ naturales viæ adhibentur à Deo pro ipsius arbitrio. 2. Imperitus ille est, qui nesciat unam eandemq; cau-

cau-

causam, nec similiter quidem, nedum pariter semper agere, imò secundum objectorum varietatem effecta variare. 3. Multa possunt intervenire, ne omnes aëre corrupto infici possint (: præter aërem aliis quôq; naturalibus Pestilentiaæ causis destruantur:) vel quia unus medicamentum prophylacticum præviè præsumpsit, unus statim remediô commo- dè sit usus; alius vel tardè, vel nunquam. 4. Præcipuum est, quod D. O. M. naturales causas, & earum effecta, prout ipsi libet, regit ac moderatur: Unde evenire potest, ut contagiô nec singulos attingat ipsi expositos, *Psal.* 91. *ps.* 6. néque sit iis omnibus, quos corripuit lethalis: nec venena omnibus æque nocent.

*Octava*: Vipera lethale virus habet, non nocet tamen manibus Pauli Apostoli: potest itaque Deus & Pestilentis contagiû vim aut impedire, aut prorsus tollere.

## THESIS XV.

Quando igitur constat in Peste & naturales causas concurrere, & contagiû inesse; inde certò sequitur, prophylacticis remediis hominem adversus Pestilentiam uti posse.

### DECLARATIO THESIOS.

**P**rophylactica remedia duorum generum sunt. Sunt nimirum vel *Spiritualia*; vel *Physica*, & *Moralia*. *Physica* vicissim sunt, vel ante Pestem, vel in Peste adhibenda: Sunt iterum, vel à *Magistratu*, & *Physicis* procuranda; vel cuiusq; privati hominis salutem suam magni habentis arbitrio relicta. *Spiritualiter* quæ & qualia remedia adhibenda

da sint, fors vernaculo sermone, eorum causa qui ignari sunt Lingvæ Latinæ tradenda erunt infra: Ita tamen ut Theſim ſequentem XVI. pro antidoto Spiritualis designaverim. A Magistratu tempeſtively præcautiones ineundæ sunt, " providendumq; quantum licet, tum quibus legitimis, neq; " Christianæ charitati repugnantibus modis contagium impediri poſſit; tum ne quid Peste correptis deſit". Sunt verba Doctissimi Beza.

" Quid ergo, ſi Magiſtratus Republicæ & ſubditorum curam gerens jubeat purgari cloacas ( addo & publicas plateas: ) ſtagnantes aquas moveri, & innovari; aëris humiditatem nimiam frequentibus ignibus temperari; ades novas non antea à novis hoſpitibus inhabitari, quàm ſuffumigationibus, poſt accuratam lotionem, ſalubriori aëre revocatò? An propterea impietatis erit inſimulandus, quaſi adverſus manum Dei extenſam reluctaretur, & *Secundæ*? Quasi vero non potiùs adverſus Deum iuſurgeret, ſi neglecta ſalute populi ſibi commiſſi poſt ea, quæ ſunt primum, & ante omnia procurata; omnè lapidem moveret, & vias omnes legitimas tentaret, quibus morbi vis quodammodo remittat? Itaq; ad ejus officium pertinere contendimus, ut non ſolum ea, quæ dicta ſunt, ſtatuat & jubeat; ſed etiam eos cohibeat, qui omni charitate in proximum deſtituti, ſe impunè immiſcent". Verba ſunt Doctissimi Riveti: Qui & hoc addit quaſi querulus; " quod in quibusdam locis tanta ſit licentia, ut mirandum non ſit, Peſtem tam late

" tere ſerpere; ſed potiùs mirandum ſit, quomodo tandem fieri poſſit, ut ceſſet unquam.

Hic notabiles ſe nobis ingerunt quaſtiones.

*Prima*: An Magiſtratus debeat omne commercium inter infectos, & non infectos tollere? ut è Regnis & Provinciis non infectis nemo in Provincias ac Regna infecta penetret: perinde ex Civitatibus adhucdum ſanis in Civitates jam contagio affectas: ſic à Pagis vicisq; infectis, & viceverſa, promiſcoam transmigratiònem impedire debeat?

*Secunda*: An domos infectas ocludendo, ab aliis ſecludat?

*Tertia*: An debeat liceatq; contagionis prævendæ cauſa, communem fidelium cœtum impedire & tollere?

Ad *Primam* reſpondet noſter Rivetus in verbis ſuprà citatis: Magiſtratus officium eſt, eos cohibere, qui omni charitate in proximum deſtituti, ſe aliis ( h. e. nondum infectis: ) immiſcent. Giſbertus Voëtius exterorum ad alios penetrationem hætenus improbat, quatenus charitati proximi præjudicat, damnũq; ejus promovet; cujus hæc ſunt verba: " Cùm ſani homines vel ex altero orbe ad veſti magnò ſuò, & rerum ſuarum incommodò, à Civitatibus & Provinciis longò tempore non arcentur; Meum tamen hic nihil eſt deſinire.

Ad *Secundam* reſpondetur: Hoc non videtur penitus in praxim abire non poſſe; ſed ſapienter monet Excell. Doctör in *Admonitiſ* ſuis: " Oculos in ediam, ſitim, & neceſſariorum defectum pati ſinere, crudele eſt, & Christianæ charitati contra-

"trarium". Et meritò; *Esaias* námq; *Propheta*, quomodo homo ab homine tractandus sit in sua angustia, graphicè depingit *Esa.* 58. *ψ.* 7. *Parti- oris esurienti panem tuum, & pauperes ejectos intro- ducas domum: oúm videris nudum, tegas eum, & à carne tua non abscondas te. ψ.* sequen. *Tunc eru- pet velut aurora lux tua, & sanitas tua protinùs efflorescet, & anteibit te justitia tua, gloria Jehova extremum agmen tuum aget.* Consulendus *Regius Propheta*, *Psal.* 41. *ψ.* primò & seqq. *Beatus, pru- denter qui respicit ad tenuem; in die mali subducit eum Jehova. Jehova conservat illum, & vivificat eum, & successus ei datur in terra, & non dat eum in cupiditatem hostium suorum.* Jam sapius laudati *Theologi Voëtii* admodum *Viri pii* verbis rem clau- dam; cui nimis dolet, si oclusio ita contingat: "quòd oclusi tam arctissimè includantur, & qui- dem sæpe integrò trimestri, aut semestri, aut am- pliùs; ut absq; ullo alloquio, ullà deambula- tionis per liberum & minùs infectum aërem re- fectione, ullà migratione ad aëdes, aut plateas, aut loca minùs infecta, absq; ulla recentis aëris in domos suas receptione, & perspiratione, contagiosò, putridò, foetidò, & morbidò suò aëre, solitudine, aegritudine, melancholià con- ficiantur". *Addo Ego*: Oclusio naturalem storgem iavertere non debet, ut si *Maritò sanò*, cum *Uxore infecta*; *Parentibus sanis*, cum *liberis suis infectis*; *Dominorum infectorum*, cum *ser- vis ac famulis*, ut & *consanguineorum*, *commer- cium omne prohibeatur*. *Egremio Matrum infan-*  
tes

tes tolli non possunt: sic de cæteris *judica*. *Com- munem* siquidem *Necessarii* parati sunt experiri fortunam, *charitatem* illam quis tollet? Certè controverti debet, quòd exempla facta sint in *moderna nostra Peste*: *Patresfamilias* *Divinà manu tactos* violenter à *cura Familiarum* secludi atten- tatos fuisse. Præterea *domibus suis* inclusi ad aë- rem liberum hauriendum frequenter admitti po- terant sub bona præcautione; ut possent ad *agros, vineta, arboreta*, ad *defluxus aquarum* excurrere, se ibi recreare, *carcerémq; suam* cum aliquo re- spirio iterum ingredi; nam qui *profundis carceri- bus* injiciantur, iis quoq; *respirium* conceditur in *Republica bene ordinata*.

Ad *Tertiam* responderetur. *Providendum est*, ne *infecti Cœtum Publicum* ingrediantur; sed, quòd *preces, conciones, & publica pietatis exercitia* fuisse flamentur, committi non debet; *tum* quia nul- lò constat exemplò in *Populo Israël*, licet *Peste* sapius affecto, *antidotum illud* admodum acre in usu fuisse: quin imò *Prophetarum monita, publi- ca etiam jejunia, vel maxime tunc* svadent; *tunc* unò humero nomen *Dei* portandum est, atq; tunc adest occasio, quòd mutuò invicem exacuamus in *Synagogis*, ad *Hebr.* 10: 24, 25. *tum* quia *publica judi- cia non tam privatorum, quàm totius Cœtùs de- votione* sistenda sunt: Præsertim in *Populo barba- ro, & literis non asvetò*, ne quidem bonas *preces concipiendi idoneò*, si *cultus devotiòq; publica* tollatur; cæteroquin quòq; *frigidus Populi animus* obrigescet magis in *irreverentiam omnem Numi-*

nis, indurabiturq; ad parvi habendam Dei manum, Quæ hæc monita nostra, Spiritus illa Sancti consilia infinitis parasangis excedunt; quæ in omni calamitate locum habere debent. *Joël. vid. cap. 2. v. 15. 16.* consilium Sancti Spiritus (: licet præpediendo malo belli intimatum est; sed de similibus idem est iudicium:) *Clingite buccinâ Tzione, indicite jejunium, proclamate diem interdicti. Colligite Populum, indicite congregationem, congregate senes, colligite parvulos, & sugentes ubera: egrediatur Sponsus è cubiculo suo, & Sponsa è thalamo suo.* Et quid necesse erat? si Pestis tempore Templum occludendum sit; quòd *Salomon* in dedicatione Templi ex voto Patris sui, sed magis ex dispositione Dei à se ædificati, ita interpellaret Deum precibus suis fervidis, ut habes *1 Reg. 8. v. 37. Fames cum erit in hac terra, Pests cum erit, omnem orationem, omnem deprecationem, quæ erit à quocunque homine, aut à Populo tuo Israël* (: quod in publico cœtu agebatur:) *exaudito Jehova in Cælis!*

*Privato* autem cuiq; de legitimis prophylacticis, sive præservativè, sive in ipsa media infectione, nisi crudelis sibi, naturæ legibus contrarius, inq; Dei voluntatem injurius esse velit, providendum est. Audi hac de re *Andream Rivetum*: " Si à principio, omni animalium generi est à natura attributum, ut se, corpus, vitamq; tueatur; non existimandum minùs à Deo esse hominibus concessum, cum præsentiant, quæ sibi sunt nocitura, ut ea præcaveant legitimis modis: Legitimos autem non censemus, si quis in vocatione publica, vel in Republica, vel in Eccle-

" sia, constitutus, curam omnem abiciat laborantium, eosq; in corporis & animæ periculo versantes, destituat necessariò omni auxiliò". Rectè igitur faciet, si temerariè se in omne discrimen non conjecerit: si suffumigiis, ædes proprias, ne ibidem receptus aër corrumpatur, quasi invigorabit; ædes, curiamq; mundam, sordibus omnibus everfis, fervabit: si eorum, qui infecti sunt in sua Familia, eòq; magis, si qui animam jam egerunt, cum reliquis adhucdum sanis, spondas, vestes, promiscuas non fecerit: si demortuos variis amplexibus, basiis, attrectationibus (: quanquam ex charissimis sint, charissima quòq; sint pignora:) non effecerit: si ad domos infectas parentalis convivii causà non accesserit (: ubi, ut *Augustinus* loquitur, homines dum alios sepeliunt, se quòq; sepeliunt merò:) Si propinata Alexi pharmaca ab experientissimis Medicis in vitæ subsidium, vinq; veneni imminuendam adhibuerit.

Privato homini, certò officio in Civitates, Vicos, Ecclesias, Dominos, Classes, non devincto, pro præservatorio prophylactico declinatio locorum, & secessio à locis infectis ad nondum infecta, habetur à multis quàm Veteribus, quàm Modernis; qui nodus omnibus illis, quos hæctenus solvimus, solutione ac Vindice dignior est, difficiliorque: qua de re sequetur Thesis nostra, 17.

T H E S I S XVI.

De ANTIDOTO Spirituali  
Pestilentia.

*Externa quaque remedia Prophylactica superat  
Anti-*

*Antidotum Spirituale ejusdem mali ; cui tutius inni-  
tendum est , quam omnibus illis Antidotis externis ,  
quæ prudens & sagax hominum ingenium adinvenit.*

DECLARATIO THESIOS.

**N**otatus extitit Rex Judæ *Afa* ; quòd laborans  
ex pedibus , Mediis externis plus nimium  
innixus fuerit ; Medicos potiùs ( : ceteroquin qui-  
dem Deo laudatus , & charus Rex : ) consulens ;  
quàm sanitatis suæ integram restitutionem à Deo  
precibus contendens. Historia sic se habet, *2Chro.*  
*16: 12, Egrotavit Afa anno trigésimo nono Regni*  
*sui, ex pedibus suis, usque eo ut morbus ejus summè*  
*invalesceret ; tamen nè in morbo quidem requisivit*  
*Jehovam ; sed adhæsit Medicis : Quo ex loco illam*  
oportet nos colligere doctrinam ; in morbis ( : idq ;  
eo magis Pestilentibus : ) media adhibenda non esse,  
cum Dei neglectu ; etenim Deus est morborum  
*Israëlis sanator, Exod. 15: 26. Malachias autem*  
*Propheta, cap. 4: 2. insigniter tradit ; quòd, sub alis*  
*Solis justitiæ inveniatur sanatio. Pro omnibus sistam*  
*Prophetam Davidem, qui Psalm. 103 animam suam*  
ad Deo benedicendum hoc argumento excitat, *ÿ 3,*  
*4, 5. Benedic anima mea Deo, qui condonat omnes*  
*iniquitates tuas, & medetur omnibus morbis tuis :*  
*Qui vindicat à fovea vitam tuam ; qui circumregit*  
*te benignitate, & miserationibus. Qui faciat bono*  
*maxillam tuam, ut innovetur veluti aquilla juvenus*  
*tua. De hoc nostro morborum Sanatore ad con-*  
solationem nostram , erecto animo legendum est:  
Quod *Exod. 15.* legitur, de curatis injectione ligno-  
rum amaris ac venenatis *Marthæ* aquis : Profectò  
nulla

nulla mala amarescere ita possunt ; quin Deidigitò,  
ac curatione ejus dulcescere queant.

Proinde, in malo nostro, ac ægritudine Pestilenti,  
cùm Deus possit esse Sanator : Age ! morbos no-  
stros , fatidâque nostra Pestilenti veneno exaspera-  
rata corpora *Illi* curanda committamus ; hoc mo-  
do & ordine.

*Primò. Causam nostræ ægritudinis, ex quâ ma-*  
lum Pestilens originem duxit ; humores , spiritus,  
sanguinem , veneno plusquam arsenicali lethaliter  
infecit ; indicemus fidei nostro Sanatori. *Illum*  
quidem causæ immissi tanti mali non latent ; novit  
enim, cur fauciaverit ; sed ut Eum, ad libentiùs pro-  
curandam nostram sanitatem, leniendòsque nostros  
morbos provocemus ; secuti in hac re *Regium Pro-*  
*phetam Davidem, Illi devotè fontem mali aperi-*  
amus ex *Psal. 38: 3. & seq. Sagitta tua altè infixæ*  
*sunt in me ; & demisisti super me manum tuam. Non*  
*est integritas in carne mea, propter detestationem*  
*tuam ; non est pax in ossibus meis propter peccatum*  
*meum ; Nam iniquitates mee transcendunt caput*  
*meum, ut onus grave, graviores sunt, quàm per-*  
*ferre queam. Putruerunt, contabuerunt, tumices*  
*mei, propter stultitiam meam: Distorqueor, incurvor ;*  
*pervaldè : Tote die atratus pergo : Quia ilia plena*  
*sunt spurcitiæ ; aded ut non sit ulla integritas in carne*  
*mea. Debilitatus, & attritus sum pervaldè, ru-*  
*gio præ fremitu animi mei.*

*Secundò. Quando confessi sumus Pestilentis*  
nostræ ægritudinis , ac putredinis causam esse no-  
stram stultitiam ; peccatâque nostra caput nostrum

exuperantia; ardentibus à Deo Sanatore precibus contendere debemus; remittat nobis omnes nostras iniquitates, tollatque vim igneam contagii ex ossibus nostris; nè peccata nostra omnem exurant in nobis humorem. Si enim filebimus, accidit nobis, quod *David* sibi accidisse conquestus est, *Psal.* 32: 3. & seq. *Cum silerem, inveterascebant ossa mea, in rugitu meo toto die. Nam interdiu & noctu gravis erat super me manus tua; convertebatur prastantissimus humor meus in siccitates astivas maximè: sed quando peccatum suum Deo confitebatur; veniam impetrabat iniquitatum suarum; aded ut gloriabundus exclamet: Sustulisti pœnam peccati mei & 5. Propter hoc oraturus est te omnis pius, quo tempore obvenit malum, in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent & 6. scilicet aquæ. Facimus nostram eam quoque supplicationem, quâ utebatur fidelis anima in *Psal.* 130. his verbis Deum alloquuta: *Si iniquitates observaveris Jah, Domine, quis possit consistere? Nam apud te est condonatio, ut reverenter colaris.**

*Tertiò:* Sanationi nostræ plurimum conducet, populi Israëlitiçi vestigiis insistere; qui morsu à serpentibus ignitis accepto, erectum æneum serpentem intuebatur, sanitati restituebatur, vimque lethalem serpentini veneni evadebat. Intueamur in Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum; qui in signum quasi toti mundo expositus, fidei nostræ oculis contemplandus, morbos nostros tollere paratus est: siquidem in *vibicibus* ejus nobis sanatio facta est. *Esa.* 53: 5.

Quar.

*Quartò:* Metus, quandoquidem mortiferæ virulentia fomentum est, si non vehiculum; orandus Deus est sanator noster; ut svavi, sed admodum potenti cardiarco, imbecillum nostrum cor fulciat, invigoretque! *Gratiâ enim Dei fulcitur cor,* ad *Hebr.* 13. & 9. Eximat nobis mortis nimum timorem: Nam ut dicitur; *Si tolles mortis metum, viceris mortem.* Igitur noster cœlestis Pater, liberet nos à metu mortis; sicuti *Filium suum exaudivit, & liberavit.* *Hebr. cap.* 5. & 6. Rogandus perinde est *Mediator* noster; reddat nos liberos à metu mortis! sicut de ipso scribitur ad *Hebr. cap.* 2. 15. *Reddebat liberos, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis.* Faciat Deus à nobis audiri! quod olim dixit *Abrahamo;* *Gen.* 15. & 2. *Ne time Abram, ego sum clypeus tuus.* Erigat nos oraculum cœleste; quod erigebatur *Ecclesia,* *Esa.* 35. & 3, 4. *Confirmate manus remissas, & genua labantia fortificate: Dicite inconsideratis; animo confirmamini, ne timeatis: Ecce Deus vestester, ultio advenit, servaturus vos.*

*Quintò:* Spiritualis antidoti quæque loco erit; si positi in umbra mortis, fidei suæ fortitudinem, vividis certisque signis Deo ostenderint: Fidei namque nihil est impossibile; servatque hominem, tantummodò credat: Salutare itaque foret cum exultatione exclamare cum  *Davide,* *Psal.* 23. *Cum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es; virga tua, & pedum tuum, ipsa consolantur me:* Ac iterum *Psal.* 27. & 1. *Jehova lux mea, & salus mea est; à quo timeam?*

merem? *Febova robur vita mea est; à quo expavescerem?*

*Sextò: Paterni Dei nostri Patris favoris consideratio, vim tentationis in lue multum infringere, imminueréve potest: Qui enim in luem incidit contagiosam, ab aliis fors gravioribus malis liberatus, incidit in manum Dei; cujus miserationes admodum multæ sunt; quo Alexi pharmaco se præmuniebat Rex David, quando sententia Dei de Peste auribus ejus intonabat. 1 Chron. 21. v. 11, 12, 13. Elige tibi? Aut trienni famem? aut trimestre; quo consummaris ob præsentiam hostium tuorum, gladio inimicorum assequente? aut triduum, quo gladius Febova, ac Pestis in terra hac, & Angelus Febova perdat in toto termino Israëlís? nunc itaque vide: Dixit verò David Gadi, angustia est mihi valdè; incidam, queso, in manum Febovæ; nam magna sunt miserationes ejus valdè; in manum autem hominis ne incidam. Adde, quòd iis, qui Deum diligunt, omnia cooperentur in bonum, ad Rom. cap. 8: v. 28.*

*Septimò: Constat hominum animos langvidos officii in contagii tentatione, ex circumstantiis, & connexis Pestilentia virulentæ; quæ lenienda sunt arte omni christiana: Horret animus miserorum homuncionum; quòd contagium Pestilentiale præsentem mortem multis adferat; subitoque, & ex improvise homines extingvat; quòd in morbo Pestilenti, Amici, & Necessarii deserant laborantes; quòd venenum lethiferum admixtum habeat; quòd sagittæ instar volet, inque eo Angelus flamman-*  
tem

tem gladium vibret; quòd ignis instar ardeat, spiritus vitales depascat, exhauriat; quòd integras, latèque expansas familias è medio tollat: Quæ omnia fatendum est, horrore etiam homini fideli esse possunt, donec rectius se ex verbo Dei informaverit. Sed considera tecum; si Pestis mortem adferat, transitum dabit ad vitam meliorem; & quid tibi jam mors periculi adferet, quando mortis aculeus vi mortis Christi ablati est? & homini fideli exoptulare cum morte ita licet, ut habes Hof. 13: 14. *Ubi sunt Pestes tuae, ó mors? ubi exitium tuum, sepulchrum?* quæ latius descripta lege 1 Cor. 15: 54, 55, 56, 57. *Absorpta est mors ad victoriam; Ubi tua, ó mors, victoria? ubi tuus, ó sepulchrum, aculeus? Aculeus verò mortis est peccatum; vis autem peccati lex. Deo autem habetor gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

*Si ex improvise & subito occidas: An tibi, qui Christum habes, & cui Christus vita est, (ad Coloss. cap. 3. v. 4) simul in morte & vita lucrum, ad Philip. cap. 1. v. 23. & qui maturè jam jugo Christi asvefactus es, paratusque es semper facere voluntatem Dei; dummodo vocem ejus audiveris; an (inquam) tibi mors unquam repentina erit? Ad hæc, in lucro deputa, si brevius sit mortis tormentum: brevius certamen: hoc namque modo victoria facilior est, & transitus à vita hac mortali ad gloriam.*

*Illudne cruciabit animum tuum, quòd Amici, & Necessarii, dum Peste laboras, te deserant? an*  
non

non Capiti tuo Christo, cui conformari debes, idem accidit? *Psal. 22. v. 12. collat. Matth. 26. v. 4.* Si abalienentur à te homines, teque deserant; Deus qui Pastor tuus est, an te deseret? Qui Sioni de desertione sui, his verbis conquerenti; *Deseruit me Jehova, & oblitus est mei. Esa. 49. v. 14.* ita respondet: *An obliviscitur Mater fructus uteri sui, ut non misereatur ejus? Si obliviscuntur Matres; ego tamen tui non obliviscar.* Dic igitur confidenter homo fidelis: *Si Pater & Mater deseruerint me; Deus ad se recipiet, Psal. 27. v. 10.*

Quid veneni Pestilentis virus extimescis? siquidem Summus animarum Medicus ex veneno Alexi pharmacum conficiat; quo à majori veneno, scilicet corruptione peccati liberet; atque ita venenum veneno expellitur, Pestis Peste, putredo putredine, fætor fætoze fugatur. Verba sunt Viri Docti.

Si Pestis sagitta Dei, gladius Dei sit, id tecum perpende, tibi ea à manu leni, ac dulci immitti. *Amaras sagittas accipe ex dulci manu,* inquit Nazianzenus.

Nec diffiteor esse Pestem quasi ignem quandam, operationesq; ejus instar ignis esse; sed non omnis ignis ad consumptionem est: ignis visus fuit in rubo, *Exod. 3. Sed rubus non consumebatur;* imò tum liberationi sui populi Deus intentus erat: Si Pestis ignis est, exuret frigida ac terrena hæc nostra corpora, excoquet scorias è nobis, ut tanquam aurum purgatissimum in Thesaurum Domini reponamur: *Ignis est,* qui nihil aliud minatur, aut auert; nihilq; aliud est, quam ut sit tibi currus igneus *Elie,* quo in cælum evehctus gaudeas, & regnes perpetuo cum Christo.

Latè

Latè expansas familias si è medio tollat contagium, perpende tecum id & aliis viis effici posse. *Jobi* tota familia judiciis Divinis extirpata fuit sine Peste, adeò, ut exclamare debuerit; *Domine totam meam domum desolasti!* Arboris istius (scilicet familiarum:) tum radices, tum trunci; denique rami & frondes in manu Dei sunt: qui liberè potest omnem vitem (:intellige familiam:) plantatam juxta aquas, fructiferam, frondosam, etiam cujus scipiones robusti sunt, cum virgis dominantium, & cujus statura eminet supra intercurrentes ramos densos; quaque conspicua est altitudine sua cum multitudi-  
tudine palmitum suorum; potest inquam, avellere per excandescentiam suam, in terram dejicere, fructum ejus per Eurum arefacere; scipiones ejus defringere, igne consummere. *Ezech. 19: 10, 11, 12.* Sed clementem ita se præbere Deus assolet, dum interne-  
cioni proximi sumus; ut vel ipsam radicem non eradicet, vel cum ipsi videtur truncos confirmet; aut iis eradicatis, & detruncatis, ex frondibus & ramis quosdam clementer decerpat, decerptos plantet, & in Cedrum magnificam elevet; sicuti promissio extat, *Ezech. 17: 22. ad Regem Judæorum: Sic ait Dominus Jehova, accipiens ego è summo calamo illius Cedri proceræ, reponam: è summitate tenerorum ramorum ejus tenellum decerpens, plantabo ego super montem altum, & aggestum: In monte celsitudinis Israël plantabo eum, & proferens rammum, faciet fructum, & ahbit in Cedrum magnificam: habitabuntq; sub ea omnes aves cujuscunq; ala, in umbra palmitum ejus habitabunt.*

D 2

Octa-

*Octavo* Quando opperiri Pestem cogimur, eiq; obviandum est; considerandum nobis venit: (1.) Summum Dei Dominium, ejusq; Dominio adjuncta potestas; qui si omnem nostram domum evertat, ut *Jobi Patriarchæ*; respondendum Summo isti Arbitro erit; quod *Jobus* admodum patienter damnâ domûs suæ perferens resolvit, in suâ animæ per patientiam benè possessæ resolutione. *Job. cap. 1. v. 21. Jehova dedit, & Jehova recepit; sit nomen Jehovæ benedictum. Pontifex Heli* auditò Nunciò, extirpandam fore domum ejus, *1 Sam. cap. 3. v. 13, 14.* Puerò *Samueli* nunciùm deferenti humiliter respondet: *Dominus est, quod bonum videbitur in oculis ejus, faciat. v. 14.* (2.) Proinde præviè disponat se homo Christianus ad omnem subjectionem sub Deo, & humilitatem; Nam monente *Sancto Petro*; *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit. 1 Petri cap. 4. v. 6.* Sit igitur Homo Christianus illa pia resolutione, quam leget in Libro 10. *Marci Antonini: Omnia danti & auferenti natura, is qui benè institutus est, & verocundus, dicit: Da quod vis! aufer quod vis, neque hoc audacia elatus dicit; sed obediens, & benevolens.*

*Nondè* Admodùm conducet, prævias facere meditationes de Paterno favore Divino, qui in castigationibus etiam mortiferis Patrem nobis se præbere affolet; ut monente *Tertuliano: Gratulari, & gaudere nos deceat dignatione Divinæ castigationis.* Nam, inquit Deus: (*: Quos diligo castigo, ad Hebr. 10. 6. :*) *O Servum illum beatum! cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* De-

*Decimo*: Prematurè mentem nostram subire ista cogitatio debet; si Numini Vindici visum fuerit nostra peccata ulcisci mediò contagiosa Pestilentia: Nos hoc ipsum promeritò os fuisse, imò & graviora; ut fateri debeamus, quod quidam humilis *Confessor* confessus est: *Majus quod meremur, minus est quod patimur.* Quà in re ipsos confitentes audiamus Prophetas; *Jeremias Thren. 3: 32, 33.* Sic confiteretur: *Cum afficit mœstitia, etiam miseretur pro amplitudine benignitatum suarum: Non enim affligit ex animo suo, mœstitiæque afficit Filios Viri.* Item *David* egregiè proloquitur in *Psalmo 103: 10. Non secundum peccata nostra facis nobis, neque secundum iniquitates nostras referi nobis.* Adde *Asaphum*, *Psal. 78: 38. Multum avertēbat iram suam (: Dominus;) neque excitabat totum æsum suum; recordatus carnem esse eos, (: scilicet Israëlitas:) ventum abeuntem, qui non revertitur.*

*Undecimo*: Vota Deo nuncupanda sunt; si ipsi visum fuerit, clementer stragem contagiosam aut avertere penitus; aut vim illius imminuere: Nos Deo in ejus cultum, reverentiam, ac devotionem devotos, imò in ipsius Nominis gloriam è rebus nostris admodùm paratos fore, quò modò ipsius gloriam in terris promoveamus. *Rex David* Peste castigatus in Regno suo; irato Numini placando, istud remedium ex consilio Prophetæ pientissimè adhibuit; quòd & locum Dei Cultui sacrum sibi præconcepit *Arunai Jebusei* arē proprio ære pro Templi loco acquirens; ibique statim altari adhibito & sacrificiò præstito, Deum mirum in modum complacavit. D 3 Duo-

Duodecimò: Sive velimus nos à contagiosa lue præservare: sive ubi nos, aut domum nostram impetere aggressa est: præcipuam spem remedii in precibus, gemitibus, lacrymis collocemus, id jam certò experti, Sanctos isto remedio urentes, plus obtinuisse à Deo, quam modò ullò aliò. (: sicut & exempla dedimus: ) Sed nunc plura sistemus exempla Sanctorum nobis piè imitanda. Moses audità Dei sententià de Peste ad internecionem totius Gentis Israëlita: immittenda; malum imminens hac humili deprecatione prævenit. Num: cap. 14: 13. & seq. Dixit Mosche Jehova: atqui audirent Ægyptii, è quorum medio fecisti virtute tua, ut ascenderet hic populus: Ac dicerent cum habitatore istius terræ, (: audiverunt enim te Jehovam esse in medio populi hujus; quia tu Jehova oculo conspiciendus appares, quod nubes tua residet super eos, ac in columna nubis antecedis eos interdium, & in columna ignis noctu: ) Si, inquam, morte afficeres populum hunc, omnes ad unum loquerentur Gentes ista, quæ audiverunt famam tuam, dicendo: Propterea quòd non poterat Jehova introducere populum hunc in terram illam, quam juramento promiserat eis, ideo jugulavit eos in hoc deserto. Nunc igitur magnificetur quasi virtus Domini, quemadmodum pronunciaisti, dicendo: Jehova est longanimis, & multus benignitate, condonans iniquitatem & defectionem; qui prorsus non absolvit fontem, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & abnepotes: Condone quasi iniquitatem populi hujus, pro magnitudine benignitatis tue, & proat condonasti populo huic ab Ægypto hucusque.

Pesto

Peste cum jam actu tactus fuit Ezechias Rex, Esa. 38: 2. Vertit faciem suam ad parietem, oravitque Jehovam, dicendo: Obsecro, Jehova, recordare jam me indefinenter ambulasse coram te fideliter, & animo integro, & quod bonum videtur in oculis tuis, fecisse: flevitque Chizkija fletu magno. & 14. de gemitibus suis sic loquitur: Ut grus, aut hirundo, ita pipiebam, gemebam ut columba, dicens: exhauriuntur oculi mei spectantes in sublime, Jehova oppressio fit mihi, sponde pro me. Vertente inter alios b. m. Coccejo. Et quis orationis effectus fuerit, sic declarat Rex Ezechias & 15. Quod eloquebar statim prædixit mihi, idemque fecit: progredior omnibus annis vitæ meæ ultra amaritudinem animæ meæ.

### THESIS XVII.

Quandoquidem & experientia, & rationes supra adductæ Pestem contagiosam esse fecerunt evidens; contagium autem omne alios inficiendi vim habeat; homo Familia, ac vita sua consulens, nullam videtur temeritatem committere, si ex loco jam vitato, vel vitari cæpto aut suspecto, in sanum concesserit locum; præsertim si secessum meditetur secundum modos nunc statim proponendos in Declaratione Thesios.

### DECLARATIO THESIOS.

Quòd nos secessionem id, quod alii fugam vocant, nominaverimus; consultò fecimus, secuti in hoc magnos Religionis nostræ Antiflites. Beza sic inquit: Malo secessionem, quàm fugam appellare. Alter ita: Nomen fugæ cum ambiguum sit, & vulgò in sequiorem partem interpretetur, hic omittendū esse censeo. Genseo & Ego. Johannes Hoornbeeckius con-

D 4

simi-

similiter *confer.* Nam *David Pſal.* 139. de fuga hanc olim instituebat quæſtionem: *Quò fugerem, ò Jehova, à facie tua? Si igitur fugæ vocabulum in hoc negotio adhibendum eſſet, minùs exercitati declinationem Perſonarum, locorùmq; infectorū in hanc acciperent mentem, quaſi utentes ſeceſſionis prophylacticò, Dei Spiritum vellent fallere; qui tamen ſeceſſionem non ex iſta opinione eligunt, vitæ ſuæ optimi cuſtodes, ſeceſſores nempe.*

Jam, cortice fractò, nucleum eſſe nos oportet. Itaq; quibus, & quomodo ſeceſſio attendenda ſit, demonſtremus; Quæſtionem enim iſtam, ſi limitationes non accedant, niſi temeritate uſus, nemo expediet. Certè hîc ſicubi, prudenter res definienda eſt; poteſt namq; Quæſtionis iſtius determinatio, ſecedentes profanos, ſuperbos, (præſertim ſi ſeceſſio ſuccedat:) inq; Providentiam Dei injurios efficere, iſtis fræna laxare; ut neq; aſſument, quid in charitate proximo præſtandum ſit in periculo præſenti, nèque obligationem ad ſocietatem Hominum inq; Neceſſarios magni habeant. Nam ut cæteris rebus mediis, ſic etiam ſeceſſione, tum rectè, tum perperam uti quiſpiam poteſt: & tantùm abeſt, ut eam cuiquam ſine exceptione ſvadere velim, ut contra ab iis, qui etiam cum ſubducere alioqui ſeſe bonâ conſcientiâ poſſent; tamen permanere malunt, ac etiam vitæ diſcrimen ſubire, quàm proximum deſeruiſſe videri, nullo minùs peccari fatear, quàm ab iis, qui nimîa diffidentiâ, vel immoderatò mortis pavore abrepti, illud unum, neglectis omnibus hu-

humanitatis officiis, ob oculos habent; *civò, locò, gè, tardè*.

Cautiones à Peſtilenti loco ſecedentibus, & in loco infecto permanentibus obſervandæ.

*Prima:* Secedentes; Eos, qui in media flammæ & ignibus manent, nè temeritatis accuſando dijudicent; ſicut nec ii, qui in loco ſuo ſubſiſtunt, ſecedentes calumniantur; ſed res inter utroſque agatur, ad illam *Divi Pauli* intimatam moderationem, ſicut *Ite* inſtituit inter eos, qui carnem comede-  
bant, & qui abſtinebant; ad *Rom.* 14: 10, 12, 13. *Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam cur tu pro nibilo habes fratrem tuum? omnes enim ſiſtemur apud tribunal Chriſti. Nempe ergo unusquisque noſtrum de ſeipſo reddet rationem Deo. Nè amplius igitur alii alios judicemus. Cujus rationem dat Apoſtolus ſuprà v. 6. Qui curat diem, Domino curat; & qui non curat diem, Domino non curat: qui edit, Domini cauſâ edit; gratias enim agit Deo; & qui non edit, Domini cauſa non edit, & gratias agit. Stylum Apoſtoli faciamus noſtrum: Qui ſecedit, Domino ſecedit; qui non ſecedit, Domino non ſecedit.*

*Secunda Cautio:* Dubitante ac hæſitante conſcientiâ, nemo vel ſecedat, vel permaneat; quicquid enim hic ſine fide ſit, ut & in aliis rebus, & cum dubio conſcientiæ, peccatum eſt. *Rom.* 14: 24.

*Tertia Cautio:* Qui ſecedit, ita fugere debet, ut ſuam voluntatem, & ſe totum tradat in voluntatem bonam, & ſanctam Patris noſtri Cæleſtis; probè ſibi perſvadens, poſſe Deum nos in omni-

bus locis invenire, liberare, & occidere quando & ubi vult: simul qui manent, ob oculos sibi ponant; posse Deum in medio periculo, ut *Jonam* in medio ac profundo mari, fervare; & è mediis periculis eripere, ut *Noachum* ex mediis aquis: Sed simul permanere volentes noverint Dei præceptum esse, *Ne occidas*; ac proinde neque se & suorum vitam esse temerè lethalis contagionis periculo exponendam.

*Quarta Cautio*: Qui se locis periculo expositis subducunt; si corpore abesse volunt ab afflictis; animò casus afflictorum condolente, propè afflictis adsint: non in voluptatibus, luxu, vitæque pompâ otium suum expleant; sed periculo immeris, continuas, ardentis, zelòq; plenas Deo offerant preces: quò indicio constet ipsos ad judicia Divina contremuisse, & ad cineres usq; sese humiliavisse.

*Quinta Cautio*: Secedentes; purò aère ac libertò utentes; etiam externè opitulando ad charitatis demonstrationem, afflictis præsertim, subveniunt.

*Sexta Cautio*: Probè attendat, qui ex loco uno in alium transfugit; ne fugiendo naturales Relationes violet; ne officia Communitatibus, Civibus, Ecclesiis, Dominis, Cognatis, ac Necessariis debita, vitæ suæ postponat; quâ de causa, *Præsiti* quoq; Theologi penitus fugam à Pestilentia non permittunt: Primò, Pastoribus Ecclesiarum; deinde Magistratui, Chirurgis, ordinariis Medicis, omnibusq; in qualibet Societate Civibus; qui ex officio & conscientia, salutem aliorum pro-

prospicere tenentur Alioqui Societas omnis pestum iret: Grex Dei, sive Ecclesia, fugientibus Mercenariis, periculo Spirituali exponeretur. Quæ res tamen moderationem quandam habere potest: ut mox quædam in hanc rem probè observanda adiciemus.

Quandò consideramus *Magistratus* in *Cives* obligationem, & *Pastorum* in *Gregem* Dei curam necessariam, advertimus *Magistratum* magis se subducere posse ab infectis; contagiq; evitandi majorem habere campum; siquidem per alios curare potest, ut agris necessaria ministrantur: sed *Pastorem* per se se oportet id exequi, quòd ab illis status ægrorum secundum functiones Ministerii sui prærequirit. Nolo equidem Author esse, quòd zelum Pastoralem in quoquam imminuere velim; Beatum enim illum esse, qui contemptâ mortè, officio suo ritè defungitur, agnosco; & qui tantam habet charitatem, ut animam suam ponat pro Ovibus: si locus huc accomodari debeat, ac proinde sic velit facere officium, ut *Epaphroditus* fecisse legitur: qui propter opus Christi accessit usq; ad mortem, nullâ habitâ vitæ suæ ratione; ad *Philip. 2. 30.* Interim è re esset, tum Ecclesiæ, tum Pastoris, quatenus fieri potest, si moderatum se præbeat Minister in præstatione officii sui, contagio affectis debita. Hæ igitur à Doctis Viris prudenter insinuatæ attendendæ sunt Regulæ.

I. In qua Ecclesia plures sunt Pastores; unus, aut alter ex pluribus delegandus est; qui quasi sortè delecti infectis adsint, ceteris se, dum licet, pro-

reliqua Ecclesia conservantibus; Quæ praxis *Genevensis* Ecclesiæ est in Peste, ut & de *Lejdensi* in casu quo tradit *Vir Doctus*. Lubeat hic verba *Johannis Gerhardi Fennensis Theologi* legere; qui sic inquit: "Non improbandum videtur, si quæ Ecclesia Ministris Verbi instructa est, & conveniat inter eos uni vel pluribus officium ægrotos visitandi committere: Vel etiam unum aut plures, quorum opera Ecclesiæ insigniter utilis esse potest, à se in loca tuta dimittere". Hinc, & ex hoc principio, *Theodorus Beza*, cum *Lusanna* Peste laboraret, (: ipsò rem referente:) *Collegas* suos (: inter quos erat *Vir* eximius *Petrus Viretus* :) ut & *Johannis Calvinii* Nuncios, ad se accedere paratos, non admisit; ne ex Reipublicæ Christianæ incommodis, quanta accepturam illam ex tantorum Virorum interitu constabat; sibi consuluisse existimeretur; quod se fecisse neque poenituit. In hunc sensum loquitur & *Hieronymus Zanchius*: "Cur Ecclesia unum & alterum, vel plures pro temporum necessitate huic officio faciendo non constituit? qui omnium ægrotorum curam suscipiant, aliis, qui magis Ecclesiæ sunt necessarii, hoc invisendi labore liberatis". Cujus sententiæ fundamentum est, inquit *Deusissimus Rivetus* Curam esse omnium membrorum salutem; sed imprimis corporis totius, & maximè, ne tota Ecclesia Pastorum suorum ministerio fraudetur; præsertim excellentes in eruditione Viri, non illico, sicut & Imperatores in acie, sistendi sunt; unius enim in periculo major est jactura Reipublicæ Christianæ, quam multorum".

II.

II. Si unus tantum in alicujus Ecclesiæ Ministerio Pastor est; non promiscuè se infectis addicat; sed magis eorum habeat rationem, qui vel ob tentationes, vel ob timores, vel ob quascunq; graves causas opem Pastoris efflagitant; magis namque est necessaria sæpè Pastoris opera uni, quam forscentum aliis.

III Quando clinicis Coena Domini administranda esset; tunc aliis quidem illud ministerium à Pastore committi non potest; sed in aliis casibus, & alios consolatores ex alio ordine utiliter adhibere potest Ecclesia; homines in literis versatos, grandævos, eruditos, prælegendis precibus idoneos, præsertim sicubi *Presbyterium* erectum est. Meminisse enim nos oportet; quod in *Veteri Ecclesia* certi homines, *Parabolani* dicti, ægrotorum servitio destinati sunt: homines isti, ex officio suo, circa ægrotos omni periculo parati erant se exponere; dum nullius, neque etiam pestiferi morbi contagionem vitarent: *παράβολαν* enim, (unde est *Parolanus*;) Doctores *Lexicographi* exponunt; quod fit: *semetipsum in periculum conficere*, sicut & *Baronius* exponit *Annal. Tom. 5. ad Ann. 416.*

IV. Meminerint clinici, se ad patientiam vocatos esse; neque tunc ordinariè omnia ea Pastores (: præsertim ubi unus tantum est:) exequi posse, quæ extra casum infectionis ægrotorum præstare possunt. Prudentia ergo omnibus commendanda; cum iis, qui Ministrum vocant & accersunt; cum Ministris ipsis in adeundo. Præviè igitur *Populus Christianus* disponendus est; ut, dum adhuc sani sunt

1101

&amp; opa

& opportunitas adest, *Communione Sacram* frequentent, dum in cœtu Ecclesiæ ea administratur; ne in ipso agone necesse habeant experere. Itaq; *Rivetô* monente, infectionis tempore communionem cum Christo aliâ ratione apud se confirmet Grex Christianus, memoriâ scilicet præteritæ perceptionis Sacramenti, & Verbô præsentis, quô fides eorum corroboretur. Hoc erat Consilium, N. S. Gal. Annô 1583.

V. Cùm accesserit Pastor ad clinicos infectos, si prophylacticis præsumptis accedet, non committet naturæ quicquam adversû; deinde si clinicum è domo infecta in liberum aërem jubeat deportandum, ubi justô intervallô positô, illum affari, consolari, precibusq; juvare possit, id quoq; consultum erit.

Addi possent etiam alia, prudenter à Doctis irritata; sed in Populo, præjudiciis præoccupatô, magnam partem literis non asveto, praxin *hac*, & *familia* vix habitura sunt.

Me quod attinet, cum *Collegis* meis (: in Peste Anni 1710. omnibus mihi ademptis;) indefinentem faciebamur ægrorum Pestilentium visitationē, nulla factâ sortitione; cum illo tristi eventu tamen, quôd *Ecclesia* nostra populosa *Claudiopolitana* Ministris privata, Me quoq; in lectum conjectô Pestilentem, omni ferè Ministeriô fuisset defraudata; nisi ex proximo *Vico*, cum illius *Vici Ecclesia* maximô incommodô in subsidium adduxissemus, violenter quasi, qui subveniret rebus nostris. Avertat Deus Pestem! stat tamē mihi sententia mentis meæ; opem meam efflagitantibus adesse velle.

Tota

Tota rei summa est: Duo scopuli vitandi sunt: stulta temeritas, & nimius vitiosusq; pavor: Illa facit, ut dum nihil timemus, & nos, & alios sæpenumerô perdamus: Hic efficit, ut dum vitæ nostræ consulere volumus, opus Christi deseramus. Ita igitur timeamus, ut quoad ejus fieri potest, pericula evitemus. Ita verô confidamus in Domino, & fortes simus, ut usq; ad mortem in nostra vocatione & opere Christi permaneamus.

*Præcautionibus* igitur his (: quibus addi possunt plures :) jam præmissis; subnectam variorum judicia: quæ parvi habenda non erunt cordatis quibuscunque.

Adduco primô *Johannem Calvinum*; qui secessionem & licitam esse, & quomodô attentanda sit, graphicè depingit in *Epistola* sua; quæ inter cæteras *Epistolas Geneva* Annô M. DC. XVII. excusas, habetur pag. 454. Sic igitur eos perstringit, qui negant fas esse Pestis fugiendæ causâ locum mutare; quôd ea opinio " ex stupiditate eorum " nascatur, qui nunquam gustu aliquo humanitatis fuerunt præditi". Quærit igitur: " Ergo " non licebit eligere salubrem aërem? Ergo in ædibus non licebit quôq; salubrem prospectum præferre? Ergo cavere à noxio fœtore non licebit? " Ergo nulla contagio erit timenda? Facestant igitur paradoxa, quorum finis est exuere nos omnî sensu. Interea nostri consilii non est, eorum indulgere timiditati, qui objectô periculi colore à vocatione sua discedunt. Quæadmodû si Vir Uxorē, si Liberi Parentes, aut vicissim Parentes Liberos suos " dese-

deserant; si Pastor, Ecclesia relicta, sibi consulat;  
 si Magistratus officio desit. Deniq; modò ne  
 officium negligatur, non minùs Pestis contagio,  
 quàm gladius aut ignis vitari potest. Sequatur  
 hanc in rem Venerabilis Theologus *Beza*: "Publi-  
 cò verò munere *Civili* fungentes, quàm sua  
 munia, grassante Peste, deserere possint, non  
 video: fidos autem Pastores, de vel unica ovi-  
 cula per secessionem deserenda meditari, quò  
 tempore præcipuè Cœlesti consolatione indiget,  
 nimium turpe foret". Eadem ferè verba legas  
 apud istam Magam Casa sultam, *Theologum Angli,*  
*Guilielmũ Perkinsũ* in explicatione Decalogi Sexti,  
 ubi inter cæteras rationes hanc addit; "Incolu-  
 mitatem suam, atque salutem cuius querere li-  
 berum est, modò sine aliorum id fiat damno &  
 detrimento". Rem totam egregiè confecit *Hi-*  
*eronymus Zanchius* in Commentario suo in *Episto-*  
*lã ad Philip. cap. 2: 30.* Qui contra Pastorem quen-  
 dam, cæteroquin quidem, ut videtur, eruditum;  
 sed præjudiciis in animo obsessum, irrefutabilibus  
 Argumentis evicit, infectionem Pestilentem secessi-  
 one quòque evitandam esse, cujus verba in-  
 tegra dabo.

In quibus tamen quædam etiam aspera visa sunt  
 quibusdam; sicut & ego in aliquibus iudicium meum  
 suspendo; Accipe tamen *B. Lector Magni huius Viri*  
*integram Disputationem;* quam occasione cujus-  
 dam Pestilentie habuit *Vir Doctus* cum *Emulo;*  
 cujus verba ita se habent: "Olim annis abhinc  
 38 plus minùs inter *Me,* & quendam *Pastorem,*  
*Curien-*

*Curiensem* Virum doctum; multa ultrò citroq;  
 dicta & disputata fuerunt: *Ille* contendente, ne-  
 mini & nullò modò vitandum esse consortium  
 Pestilentie laborantium; multò minùs à locis ta-  
 li lue infectis esse discedendum: *Me* verò contra,  
 utrũq; esse faciendum affirmante; modò id fiat  
 legitima ratione, hoc est, ita ut quod tibi in-  
 junxit Deus officium, cum illius ignominia &  
 Ecclesie, proximiq; injuria ac fraude non negli-  
 gas. Occasionem huic questioni dederunt Lite-  
 ræ quædam *Tiguro* missæ, in quibus scribebatur  
*D. H. Bullingerum* ex visitatione cujusdam scemi-  
 næ Pestilentia laborantis domum rediisse eadem  
 lue infectum, & infectum totam infecisse fami-  
 liam, ita ut inde illius uxor, & duæ filie perie-  
 rint: Prædicabat *Ille* charitatem *D. Bullingeri;*  
 improbens omnes eos, qui aut ad tales ægrotos  
 proprius accedere non audent; aut etiam fuga  
 à locis infectis sibi consuli posse putant: Tum  
 Ego charitatem quidem *D. Bullingeri* laudavi:  
 Sed facta simpliciter non probavi; cum saluti, &  
 consolationi illius ægrotantis scemina, alia ratione,  
 quàm accessu tanti Viri ad illius lectum, consu-  
 li potuerit: At non etiam amanda erat & Fami-  
 lia, & Ecclesia? & utriusq; ratio habenda? Cur  
 non constituuntur aliquot, qui illud faciant offi-  
 cii erga ægrotos: & parcitur tantis viris, ex  
 quorum obitu tanta mala, sicut ex vita tanta bo-  
 na prodeunt Ecclesie Christi? Bonum publicum  
 præponendum esse privato, & majus minori;  
 neque Imperatores in prima acie, tummis peri-  
 culis

culis esse exponendos; quod hoc exercitui non sit  
consultum. Defendebam etiam illos, qui citra  
Reipublicæ, aut Ecclesiæ fraudem, vel injuri-  
am secessione à locis infectis, suæ vitæ ac libe-  
rorum, eoque; & Reip. in aliud tempus consulunt:  
quod Exemplo meæ *Ecclesiæ Clavennensis* manife-  
stè monstrabam. Quotquot enim manserunt in  
Oppido, saviente illa lue, eorum plerique; perie-  
runt; & contrà, qui cum viderent se jam non  
posse prodesse, ad tempus secesserunt, ferè om-  
nes servati fuerunt. Sic ex iis postea denuò  
recollecta fuit Ecclesiæ, denique; absentes magis  
consiliis, & auxiliis juvabant *Rempublicam*, quàm  
præsentes. De iis itaque; duobus capitibus, quæ  
modo explicavi; de vitando nimirum infectorum  
consortio, & de secessione à locis infectis, co-  
ram & per literas non leviter inter nos discepta-  
tum fuit. Sed quid tandem contigit? Bonus  
ille Pastor moribundus exclamavit: O utinam  
*Zanchii* consilium secutus essem! Fuerat autem  
meum consilium: ita singulis ægrotis prospice-  
remus; ut etiam sanis, & nobis, nostrisque; fa-  
miliis, imò & toti Ecclesiæ consuleremus.

*Argumenta Pastoris contra Zanchium*  
*hæc erant.*

Primum: Quòd Pestilentia non sit morbus  
contagiosus; sed merum Dei flagellum, imme-  
diatè e cælo missum: id quod aliquot exemplis,  
& autoritatibus Scripturarum probare conaba-  
tur: Exemplo præsertim Pestis, qua Deus ultus  
fuit peccata *Davidis* in toto illius Regno.

” See

Secundo: A Providentia Dei; cui resisti non  
potest: Illum autem habere in numero quos  
velit, & quos nolit Pestilentia tollere, ut nemo  
evadere possit.

Tertium: A charitate; quæ non quærit quæ  
sua sunt, sed quæ proximi.

Quartum: Ab officio Ministrorum. De iis  
enim imprimis orta fuit quæstio: Ministrorum  
esse ægrotos quosque, quovis morbo laboran-  
tes invisere, etiam cum vitæ nostræ periculo.  
Exemplum *Esaia Propheta* attulit, qui ad Le-  
ctum Regis *Ezechia* Pestilentia laborantis, ac-  
cessit.

Sed ad Primum ita respondi; ut tandem victus  
experientia, fassus sit, esse Pestem contagiosam.  
Et si sit flagellum Dei, non inde tamen sequi,  
non esse contagiosum morbum. An non & le-  
pra flagellum Dei fuit in populo Dei, & nunc  
etiam est? An non & Elephantiasis, & Scabies,  
& alii morbi? Si autem per Legem Dei licet vi-  
tare lepram & alios morbos contagiosos, cur  
non & pestem.

Ad Secundum Argumentum respondi: Providen-  
tiam Dei, quæ est prima causa eorum, quæ hic  
fiunt, non tollere causas secundas, imò statueret  
quia Deus solet sua Decreta æterna per causas se-  
cundas executioni mandare. Et si igitur decre-  
vit quos velit, & quos nolit Pestilentia tollere  
Non inde tamen effici hominibus nihil esse vitan-  
dæ Pestilentia causa agendum, eoque & (si id  
legitimè bonaque; conscientia, & sine ullius inju-  
ria

E 2

” ria

ria fieri possit:) discedendum esse ad tempus,  
non tam sua, quàm aliorum, & Reipublicæ  
causâ. Annon etiã, cùm immittit famem,  
aut bellum excitat, novit quos velit fame, &  
gladio, & quos nolit tollere? Nùm igitur non  
licet hominibus & gladio se se adversus hostem  
tueri; & emptione esculentorum famem depel-  
lere; seque in vita conservare? Imo hæc media  
sunt, quibus Deus, quos non vult perire, in  
vita servare solet; sicut exempla Scripturarum,  
& quotidiana experientia docent. Quomodò  
servavit *Jacobum* & familiam ejus à fame; eos  
excitando, ut in *Ægyptum* ad frumenta cõ-  
menda venirent.

*Tertium* à charitate argumentum retorſi: pu-  
gnare enim cum vera & ordinata charitate; ut  
cum alia ratione honesta, & bona prospici possit,  
laboranti: Tu Pastor Ecclesiæ, tuo ad lectum æ-  
groti accessu, non te solum, sed etiam familiam  
tuam perdas, & Ecclesiam tuo privas ministerio,  
vel saltem in manifestum utriusq; mali periculum  
te conjicias. Curanda est singulorum membro-  
rum salus, sed imprimis totius corporis. *Et qui  
suorum ac domesticorum curam non habet, fidem  
negavit, & est infideli deterior*, ait Apostolus  
i *Tim.* 5. Et mandatum Dei est; *Ne occidas*. Nèq;  
verò sancti, cùm hæc curant, querunt quæ sua  
sunt, sed quæ Christi, & Ecclesiæ: Præpostera  
igitur charitas est, totam familiam tuam, & Ec-  
clesiam simul, in tale discrimen, de quo dictum  
est, manifestè conjicere, ut uni privato tali adhis-

mo-

modo, qui necessarius non est, cum alia (: ut dixi: )  
ratione, illi quòq; succurri possit. Quid enim co-  
git, ut proprius ad lectum accedas, cum remotior  
ab ægrotò, illum verbo consolari possis, & preci-  
bus Deo commendare? Imo verò cur Ecclesia,  
unum aut alterum, vel plures pro temporum  
necessitate, huic officio faciendo idoneos non  
constituit, qui omnium ægrotorum curam susci-  
pian: aliis, qui magis Ecclesiæ sunt necessarij  
hoc invisendi labore liberatis? Sic enim in mul-  
tis locis fit, in *Italia* præsertim, & *Geneva*.

Ad *Quartum*; de officio Ministrorum idem  
respondemus. Curandum imprimis est, ne uni-  
versa Ecclesia suo defraudet ministerio; Dein-  
de singulis adſistendum est; sed sine manifesta to-  
tius Ecclesiæ jactura & fraude. Locus est *Au-  
gustini* insignis, qui licet de alia re tractet, nempe  
de fuga persecutionis & belli tempore; non in-  
congrue tamen ad præsentem hanc quæſtionem  
explicandam accomodari potest; in *Tomo 2. Epi-  
stola 180. ad Honoratum*; de fuga ponit quæſti-  
unculas, easque breviter explicat. Summa *Epi-  
stola 180.* Interrogatus *Augustinus*: Episcopus,  
quomodo in Persecutionibus se deberet gerere,  
multis fugientibus? Responderat: qui ad loca  
munita, si possunt, migrare desiderant, non esse  
prohibendos. Et ministerii Nostri vincula, qui-  
bus nos Christi charitas obligavit, ne Ecclesias  
deseramus, quibus servire debemus, non esse  
rumpenda. Hæc ille: Licebat igitur cuique vi-  
tandæ persecutionis (eoque & luis) causa se con-

E 3

fer-

"ferre in loca tutiora; sed non licebat Ministris  
"suas deserere Ecclesias, ut carerent ministeriò  
"necessariò: Habet ibidem plura noster *Zanchins*.

Agmen facerent Testium, si omnes nominandi  
essent, qui nobiscum hac de re iudicant. Superse-  
deo igitur illorum texere Catalogum; sed quasdam  
Oppositiones eorum attingam, qui à nobis suò  
dissident iudiciò.

ANTITHESES.

*Prima:* Qui fugit, deserit proximum, chari-  
tatemq; proximo debitam violat.

*Secunda:* Præiudicium facit secedens Providen-  
tiæ Dei, ac Prædestinationi Divinæ, quæ ita res  
hominum sunt determinatæ, ut cui in Peste mori-  
endum est, effugere non possit; qui autem ad vi-  
tam destinatus est, etiam in media infectione salus  
ipsius integra est.

*Tertia:* Fugiendo scandalizamus ac offendimus  
alios.

*Quarta:* Fuga diffidentiae, pusillanimitatis, fi-  
deiq; malè in Deum recumbentis argumentum est.

*Quinta:* Populus Dei Israël, fugà ac secessione  
ad alta loca nunquam sibi consuluit in Peste: Nec  
*David* nuncio de Peste accepto pedem removit:  
Ergo nec Christiano homini secessionis mediò lice-  
bit uti in mortifera Contagione

*Sexta:* Est contrà zelum ac praxim *Ecclesie Pri-  
mitivæ* Christianæ solum vertere; & non facere  
paria iis, quæ *Primi Christiani* in Peste, incensò quo-  
dam erga invicem zelò præstabant: Sicuti de ipso-  
rum charitatis exercitio inter alios audiri potest

*Euse-*

*Eusebius Historicus* Libro 7. cap. 21. qui ex *Dio-  
nyfio, Alexandrinorum* zelum sic tradit: "Plurimi  
"ex fratribus nostris, propter excellentem dilectio-  
"nem & fraternam charitatem, sibiipsis non par-  
"centes, sed mutuò cohærentes; ægrotos sine ulla  
"cautione invisentes, illisque diligenter inservien-  
"tes, & in Christo medentes, una cum illis mor-  
"tui sunt; & promptissimè morbo aliorum repleti,  
"ac lue à proximis in se contracta, doloribusque  
"spontè in se translatis; multi qui alios infirmos  
"curarunt, ac confirmarunt, ipsi mortui sunt,  
"mortem illorum in se transferentes. Etenim  
"Sanctorum corpora supinis manibus, ac sinu ex-  
"ceperunt, oculos depresserunt, ora clausurunt,  
"unanimes & pariter affecti, strictim se complexi  
"sunt, lavarunt, & ad sepulturam ornarunt, paulò  
"post iisdem potiti sunt; quod superstites perpe-  
"tuò præcedentium vestigiis inhærent.

*Septima:* Monitum Apostoli est *1 Johan. 3: 16.*  
*Debemus pro fratribus animas deponere:* Ergo nul-  
lum proximi malum nobis extimescendum, ac de-  
clinandum est; etiam si cum ipso nobis mori con-  
tingat: Proinde proximis lue mortiferà infectis  
nos subducere licitum non est.

SOLUTIO ANTITHESIUM.

*Prima:* In actibus & officiis charitatis ordo ser-  
vandus, prudentiàq; exercitio charitatis conjun-  
genda est. Charitas proximi violanda quidem non  
est; sed nec in omni casu & ubiq; charitas cogit.  
ut periculo evidenti te exponas. Ponamus exem-  
plum: in communi naufragio tabulam habes, vel

ad manum est, ut arripias, quâ tu evadas: an teneris, vel an virtutis est, aut bene agis, eam Amico porrigendo, cum certo ac evidenti vitæ tuæ periculo? Sic, si incendium proximi tui aut amici ædes, tuasq; simul cœpit invadere, charitas te non obligat, ut sopiendo proximi aut amici incendio intentus, proprio incendio sopiendo desis, tandemq; ædificium tuum in cineribus quæras, cum proximi ædes à consumatione vindicasti. *Jacobus Altingius* rectè differit hac de re: *Ægri sic curandi; ut qui tales non sunt, suâ culpâ non fiant: Malè accurrit ad incendium alterius exstinguendum, qui scintillas ejus secum refert ad incendiendas suas, vicinorumq; ædes.* 2. Non erit tamen charitatis: cum maxima afflictio, indigentia, ac necessitas, summâq; angustia deserti ab aliis proximi tui efflagitant: nec ulla à Magistratu, aut ab aliis provisio facta est, te subducere: Hoc enim esset abscondere te à carne tua. 3. Intellige simul, plus nos debere, & cum periculo etiam vitæ nostræ Parentibus, quàm aliis; fidelibus, quàm extraneis; Ecclesiæ, Magistratui, & Reipublicæ, quàm privatis: Verbò, necessitudines & naturales obligationes, secundum vincula sanguinis & conjugiorum, ut & officiorum servanda, etiam in periculo Pestilentia, sicut & supra subindicavimus: quæ tamen Regulæ arbitrium hominis in exercitio charitatis, qui suæ sponsis est, nè tollunt. Si Magistratus hic quædam imperet, patienter ferenda erunt.

*Secunde:* Difficultas illa supra fere soluta est; tamen quò magis simpliciorum judicium informes

tur in ista admodum tenenda veritate, Prædestinationem non tollere causas secundas, sic respondeo: 1. Occultum ac æternum Dei Decretum, nostrarum non est norma actionum: quæ occulta sunt, penes Deum nostrum sunt; quæ revelata sunt, nobis revelata sunt, *Deut. 29.* Quid de vita nostra aut producenda, aut finienda Deus decrevit, soli Deo notum est, nobis autem occultum: nos quòd nostri est officii faciamus in bona conscientia. 2. Tentatio Dei est, malâq; perversi genii Diaboli svada, neglectis ordinariis mediis, prætextu Providentiæ Divinæ id velle attentare extraordinariè, quòd effici potest ordinariè: quòd patuit in tentatione Christi, *Matt. 4. v. 6.* Aggreditur nempe impudens tentator Diabolus Dominum nostrum Christum, fradètq; dejiciat se de Templi culmine; nam Dei Providentiæ Angelis assistentibus, nullum esset Filio Dei periculum timendum; scriptum enim est: *Angelis suis mandavit de te, ut attollant te in manus, & pedes non offendas in lapidem.* Quem locum consultus apposui; est enim à Diabolo ex *Psal. 91.* adductus, ubi homini in Peste Deum pro latibulo eligenti promissionem facit Dominus, quòd malum Pestis non esset accessurum ad tentorium ejus; nam & Angeli conservaturi essent ad Deum confugientem, *v. 10, 11.* Unde constabit, nèq; in Peste extraordinariis mediis ita, quàm ordinariis confidendum esse. 3. Ex ipsa Dei revelatione novèrat Paulus cerrò conservandas esse ducentas & sexaginta sex animas periculo naufragii expositas, sed sibi jam

muneris locò concessas; monet tamen, nautas non dimittendos esse; nam, si isti in navi non manserint, seruari non poterunt, *Astor.* 27. Vide, medi-  
diorum quàm sit legitimus, ut & utilis, penes Præ-  
destinationem usus.

*Tertia:* Scandalum non datum erit, ut dicitur, sed acceptum; quam enim offendiculi causam habet quisquam, si quis media conservandæ suæ vitæ talis (: quæ proficua esse videt:) adhibuerit, non viola-  
tâ suâ obligatione cuiquam debitâ.

*Quarta:* Homo fidelis vel tunc maxime Deo confidit, quando mediis legitimis adhibitis ratio-  
nes vitandorum malorum à Deo concessas ita se-  
quitur, ut totus quantus à Deo suo dependeat.

*Quinta:* (1.) *Judæi* Peste affecti, in conserva-  
tione sui quid præstiterint; an communicatio-  
nem cum infectis habuerint? an secesserint? scri-  
ptò non est traditum: nec debuerunt omnia scribi;  
nam sic nè mundus quidem caperet Libros, qui  
scribendi fuissent. (2.) Non est putandum ipsos  
quòque tam cœcæ mentis fuisse, ut in omni con-  
servations sui neglexerint media omnia: Constat  
enim ipsos Medicorum ac Chirurgorum operâ in  
recuperanda valetudine usos fuisse, sicut & *Ezechias*  
in Peste emplastrum bubonibus suis adhibuit. (3.)  
Erant casus Pestilentes, in quibus Angelorum mi-  
nisteriò brevi spatio temporis, & ex improvisò ex-  
cisio metuenda erat: Ubi tùm fugæ, aut secessi-  
oni locus? sed non valet consequentia ab illis sin-  
gularibus casibus, ad Pestem lue operantem, &  
contagio suo homines excindentem. (4.) Hospes  
in Sa-

in Sacris Literis est, qui non meminit Mandati,  
imo *Conflii* Dei, quod *Judæis* mandaverat, svaserat.  
*Jerem.* 21: 8, 9. *Ecce ego propono vobis vitam vitæ  
& mortis. Qui defidebit in Civitate hac, morietur  
Gladio, aut Peste: Qui autem defecerit ad Chaldæos  
qui obsident vos, utique vivet; erit ipsi anima sua  
loco spoliis. Confer, Jer. cap 38: v 2-dum. Vid.  
Matt. 24: v 7, & v 16.*

*Sexta:* Nullum vituperium zelò Primorum  
Christianorum impropere est animus: sed obser-  
verur. 1. Illos in quibusdam quâdam quasi *κακο-  
ζυγία* usos fuisse; sicut de multis memoriæ tradi-  
tum est, nè persecutionis quidem tempore præsens  
periculum (: ubi etiam fieri poterat:) satis evita-  
bant. Martyrio nimium gaudentes; atque &  
hæc inter infectos moriendi promptitudo eodem  
ex animo originem duxit, attestante *Dionysio*, in  
Loco *Eusebii*. 2 Sufficit ad rem nostram, quòd  
agnoscat *Dionysius*; *Alexandrinus* ægrotorum visi-  
tationes sine ulla cautione fecisse; eos morbo alio-  
rum repletos, ac lue à proximis in se contractâ, do-  
loribusq; sponte in se transbatis, mortem quòq; pro-  
ximorum in se transtulisse. 3. In experimentalibus  
ac *Physicis* observationibus, ætas suprâ ætatem  
sapere potest, sapitque.

*Septima:* Ad locum 1 *Johan.* 3: 16. rectè respõ-  
det Doctissimus *Jacobus Alting*: " Nemo suum ro-  
" bur (: in Peste:) alteri impertiri potest, neq; hic  
" illa ratio obtinet, ut cum famelico de suo cibo,  
" nudo de sua veste, egeno de suis largitur quispi-  
" am"; adeòq; ad Pestilentem casum non pertinet:  
quòd

quod Apostolus monet; *Nos debemus pro fratribus animas deponere*; nam id faciendum pro fratribus, non ut in media lue in vita serventur; sed ut exemplo Christi, qui *animam suam pro nobis deposuit*, ne morte spirituali moremur; fratrum vitam in Christo conservemus, aut pro salute ipsorum animam deponere quoq; parati simus.

THESES XVIII.

Confectarii locò apposita.

*Posteaquam Pestem contagiò suò homines interfecere satis superq; evicimus, prophylacticisq; remediis contra virulentiam ejus locum dedimus; via nobis patuit, amicabilem inter Prædestinationem Divinam, & medià conservandã vitã hominis inservientia, harmoniam ostendendi; aded, ut Reformatorum de Prædestinatione Doctrina (: qui eam bene intelligunt, recteq; exponunt :) nullam præbeat occasionem homini inemeritatem, aut præcipitanter se in periculum conjiciendi.*

DECLARATIO THESIOS.

**T**hesis nostra ex suprã dictis, & intelligi, & confirmari posset: sed quia *Reformatorum de Prædestinatione Doctrina* in tolerabilis, ac scandalosa quibusdam visa est; necesse fuit hoc de Argumento (:latius exspatiando:) ex Verbo Dei, & Confessionibus Publicis ad informandam, potiùs tolerandam hominum sinistram opinionem, scribere; ne cum ad omnem accusationem tantum filemus, monstrum alere in pectore videamur.

Prædestinationis vocabulum delicatis multis animis asperum ac durum videtur, velletq; ex Christiana.

tiana Theologia eliminatum, unã cum ipso Prædestinationis Dogmate. Sed velim, informent se, quibus hic scrupulus est, vocabulum Prædestinationis sanum ac innoxium esse; quandoquidem, si vim vocabuli attendas, Prædestinatio notat destinationem ad fines & ad mediã, sed præviè à Deo factam. Nec magis offendi in hoc termino quisq; potest, quàm in iis Scripturæ Verbis, quæ Prædestinationi Synonyma sunt; nam quod nos Prædestinationem dicimus, id stylò Testamenti Novi προορισμός dicitur: προορίζεν autem significat, ita aliquid determinare, ut certi præviè constituantur fines & termini: extra & ultra quos ire non licet. Quando igitur de Deo prædicatur, quòd prædefiniverit rem aut aliquam Personam ad aliquem finem, præsupponitur quidem circumscriptio rei (:quò Vocabulò utitur Cicero:) at fines & mediã non excluduntur. Sed quid? an crassius est prædestinari aliquem dicere, quàm præviè conscribi ad aliquid? quò vocabulò Judas Apostolus ψ. 4. utitur, scribens quosdam homines προγεγραμμένους, i. e. olim præscriptos ad damnationem esse. Augustino, aliisq; Patribus vox Prædestinationis in usu fuit. Hoc addo, vocabulum Prædestinationis latè quidem sumptum, adhiberi pro Decreto Providentiæ, ut habes Actor. 4: 28. Strictiùs autem & frequentius, pro Decreto Electionis & Reprobationis. Hic igitur dum agitur de destinatione hominis ad mortem Pestilentie mediò attingendam, non repugnò, si Prædestinatio pro Decreto Providentiæ accipiatur.

His præmissis, ut ipsam rem attingam, Thesisq: nostram propositam confirmem, velim intelligas: Reformati suò de Prædestinatione Dogmate, cum utuntur voce Prædestinationis ad Decretum Providentiæ Divinæ exprimendum, tantum abest, ut media excludant, ut potius, quando eam vocem strictè pro Decreto Electionis usurpant, tum vel maximè media ad finem certum ductentia necessaria esse volunt; sicut habes ad Ephes. cap. 1. v. 4. *Elegit nos ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti, & inculpati in conspectu ejus cum charitate*; ut nemo se electum esse præsumere possit, sine fide, charitate, bonisque operibus. Proinde non hoc est officii hominis, quòd à priori, i. e. ex Libro Prædestinationis Divinæ electionem suam præinspiciat; hoc enim occultum est apud Deum; sed quòd à posteriori electionis suæ certitudinem sibi quærere necesse habeat. Si enim quispiam fidem in Christum habet, si studio bonorum operum, ac sanctimonio se addixerit, ea erunt ipsi infallibilia electionis ad Salutem indicia, argumenta, pignorâque certissima.

Debet igitur unusquisque firmam efficere vocationem ac electionem suam, 2Petr. 1: 10. quæ Doctrina non unius, vel alterius est in Ecclesia Reformata; sed totius Ecclesiæ: qua de re ut nulli supermaneat dubium, describam ex Confessione Helvetica à nobis quòq; receptâ aurea quædam verba, ex *Cap. de Prædestinatione*; ubi inter multa ad rem præsentè pertinentia, sic inquit: "Improbamus illos, qui extra Christum quærunt, an sint

sint ab æterno electi? Et quid ante omnem æternitatem de ipsis statuerit Deus? Audienda est enim prædicatio Evangelii, eiq; credendum est, & pro indubitato habendum, si credas ac sis in Christo, electum te esse". Infra: "Christus itaq; sit speculum, in quo Prædestinationem nostram contemplemur; satis perspicuum & firmum habebimus testimonium, nos in Libro vitæ inscriptos esse, si communicaverimus cum Christo, & is in vera fide noster sit, nos ejus".

Audeo hic interrogando excitare cujusq; conscientiam, an hæc sana non sint, & Verbo Dei conformia? an in reliquis Providentiæ Divinæ negotiis, mediis locum non dent illi, qui in stricto Electionis Dogmate locum faciunt mediis spiritualibus, ut jam supra docuimus? Non hoc igitur in Pestilentia mortifera quærimus, investigamus, an neci destinati simus, aut non? sed quid nostri sit officii, in nobis conservandis dispicimus: non temerarii vitæ nostræ contemptores sumus, sed inter Providentiâ & media amicabilis harmoniæ recognitores, confessores; nam, ut iterum Confessionis Helveticæ nostræ verbis Thesis nostram claudam, in *Cap. de Providentiâ*, "Damnamus Epicureos Providentiâ Dei abnegantes, omnesq; illos, qui blasphemè dicunt, Deum versari circa cardines Cœli, & nos atq; nostra nec videre, nec curare; qui dicunt, *Dominus non videt, neq; intelligit Deus Jacob*, Psal. 94. Quos Regius Propheta ibidem, ut stupidos castigat serid; in-

terim verò media, per quæ operatur Divina Providentia, non aspernamur, ut inutilia; sed his hæcenus nos accommodandos esse docemus, quatenus in Verbo Dei nobis commendantur. Unde illorum voces temerarias improbamus, qui dicunt: Si Providentiâ Dei omnia geruntur, inutilis certè sunt conatus nostri, & studia nostra. Satis fuerit, si omnia Divinæ permittamus Providentiæ gubernanda; nec erit porro necesse, ut simus solliciti de re ulla, aut quicquam faciamus.

### THESIS XIX.

*Judeorum Cabbalistica prophylactica, Gentilium item profana ac dæmoniaca; nec non amuletis superstitiosè abutentium adinventæ, nullò in pretio habenda sunt ab homine Christiano.*

### DECLARATIO THESIOS.

Possent hic deliria Judæorum in ipsorum opprobrium pluribus ostendi: possent Gentilium profana & dæmoniaca, Pestis avertendæ, aut impediendæ causâ adhiberi solita media, ita describi, ut constaret cuique; apud ipsos veritatem in captivitate detentam fuisse, & quando velens videri sapientes, fatui extiterunt, Rom. 1. Possent amuletis superstitiosè abutentium vanitates in lucem proferri; sed finem scribendi faciemus. Christiano ac fideli homini quò refugio, quò latibulo utendum sit in Peste, coronidis locò ex Psalmo 91. adjicientes: *Considens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indefinenter pernoctans, dico: In Jehovah est receptus meus, & propugnaculum Deus.*

*Deus meus est, cui confido. Quandoquidem ipse erepturus est te à laqueo aucupantis, à Peste ærumnossissima: Alâ suâ protegetur est te, quum sub alas ipsius te receperis; clypeus & parma est fides ipsius. Ne timeto à nocturno pavore, à sagitta volitante interdiu: A Peste in caligine pervadente; à lue vastante in meridie. Cadentibus ab altero latere tuo mille, & decies mille à dextera tua; ad te non accedet: Tantùm oculis tuis intueberis, & retributionem improborum videbis. Quum tu Jehovah, Deum receptus mei, Excelsum statueris habitaculum tuum; non dabitur occasio, ut attingat te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.*

Eidem promissi nostri suprâ facti de Remediis Spiritualibus Anti-loimicis, Hungaricò idiomate exhibendis, liberabimus insequenti Opere, de *Bello Jehovah*; cum non omnibus datum est linguæ Latinæ gnaros esse; proficiant illi quoque, qui solius Linguæ Vernaculæ legendæ, intelligendæ habent facultatem: Simplicium Christianorum quoque magna ratio habenda est, quos exinde doceri oportet, monente Apostolo ad Hebr. cap. 5: & 12. & seq. ut qui *elementis eloquiorum Dei, & lacte indigent*, (: qui cum rudes sint sermonis justitiæ: ) *infantes tantùm sunt, iisque cum lacte res est; nec solidò cibo vesci possunt, ut adulti, qui habent sensus exercitatos ad discretionem boni & mali; præter hos & illi, qui quasi infantes sunt, lactis potu alantur, si non solidò cibo.*

82 (82)  
EPILOGUS THESIUM,

τῷ ἐπιλόγῳ τῆς θεῆς

constans.

Cum finem scribendi facerem : tactus Populi sui malò Deus ; & à bonitate clementiâq; sua præoccupatus, victus ; simul stirit contagiosâ luis stragem ; edixitque Angelo percutienti, *Satis est, remitte manum tuam!* 2Sam. 24: 16. Clauditur os sepulchri ; cessant lacrymæ ; tollantur graves insectorum vexæ ; libertas Civitati, ferè per novem menses seclusâ, paulatim redit ; vicinâq; loca (: paucis adhucdum sub suspicione manentibus :) sanitatem recuperant ; pusillanimes, ac multis malis fractæ animæ recentantur ; genua labantia corroborantur ; manus remissæ eriguntur ; omnium superstium ora laudibus Dei implentur ; gratiarum actiones in hunc modum audiuntur: *Ubi, sepulchrum, aculeus tuus? Deo habetor gratia, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum; 1 Cor. 15: 17. Nunc Hymnus Psalm. 116. Deo accinitur: Amo, quia audit Jehovah vocem meam, supplicationem meam; quia attendit aurem suam mihi: & per dies meos predicabo. Ingruebant mihi dolores mortis, & angustia inferni occurrebant mihi: angustiam & merorem obvium habebam. Et Nomen Jehova appellabam: Obsecro, Jehova, fac evadere animam meam. Gratosus est Jehovah & justus, & Deus noster miseratur. Custodit fatuos Jehovab. Attenuatus sum, & me servavit: Redi anima mea ad quietem tuam, quia Jehova omni beneficio affecit te. Quia liberasti animam meam à morte, oculum meum à lacryma, pedem meum ab impulsione.*

83 (83)  
one. *Ambulabo coram Jehovah in terris viventium.*  
Nunc odas Lyricas totus pulsat populus in Domino Jehovah, quas in scripto Ezechia Regis à Peste salvato, legere est: Cujus exemplar habes apud *Esaïam cap. 38. v. 9. & seqq. Scriptum Ezechia Regis Jehuda, quum egrotasset, & revaluisset ex agitudine sua. Ego dicebam, rescissis diebus meis aditurus sum portas sepulchri, privor residuo annorum meorum. Dicebam, non sum visurus Jab, Jab in terra viventium: non intuebor hominem amplius inter habitatores mundi. Habitatio mea transferetur, & transportatur à me, tanquam tentorium pastorale: ad excidium perduxi, ut textor flamen vitam meam præ tenuissimo filo, absolvit me, à die ad noctem perempturus es me. Proponebam, dum mane erat, tanquam leonem, ita fracturum esse Deum omnia ossa mea: à die usque ad noctem te perempturum esse me. Ut grus, aut hirundo, ita pipiebam, gemebam ut columba, dicens: exbauriuntur oculi mei spectantes in sublime, Jehovah oppressio fit mihi, sponde pro me. Quod eloquebar, statim prædixit mihi, idemque fecit: progredior omnibus annis vita mea ultra amaritudinem anima mea. Domine, per hæc vivitur: etiam his singulis inest vita spiritûs mei, his facis ut revalescam, & vivum conservas me. Ecce ad pacem advenit amara mihi amaritudo: sed tu propensus amore eduxisti animam meam à fovea excedente, quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Non enim sepulchrum celebrat te, aut mors laudat te: non habent expectationem in fide tua, qui descendunt in sepulchrum. Vivens, vivens ipse celebrabit te.*

te, ut ego hodie: pater filii notam faciet fidē tuā Jehovab praesto est ad servandū me; ideo odas lyricas meas pulsabim<sup>9</sup> omnib<sup>9</sup> diebus vita nostra in domo Jehovae.

Nunc gloria (: id est lingua) exultabunda canit Psalmum 30 Deo iram suam remittenti: quem Psalmum ex b. m. Johannis Cocceji versione hisce tecum communico: Superexaltabo te Jehova, quodā me sursum extraxisti, & non affecisti inimicos meos: letitiā de me, Jehova, Deus mi; imploravi te, & sanasti me. Jehova eduxisti ex inferno animā meam; vivificasti me, ne descenderem in foveam. Psallite Jehova, pii ejus, & confitemini ad memoriam sanctitatis ejus. Nam momentum est in ira ejus, vita in benevolentia ejus. Vesperis adest fletus, & mane jubilum. Et ego dixeram in tranquillitate mea, non movebor in aeternum. Jehova, quem per benevolentiam tuam constitueras in monte roboris, simul abscondidisti faciem tuam, extiti consternatus. Ad te Jehova clamabam, & ad Jehovam supplicabam: Quae utilitas in sanguine meo, si descendero in foveam? Num quid confitebitur te pulvis? num quid indicabit veritatem tuam? Audi Jehova, & gratiam fac mihi. Jehova existe auxiliator mihi. Vertisti planctum meum in tripudium mihi. Solvisti cilicium meum, & cinxisti me letitiā. Ut te psallat gloria, & non conticescat. Jehova, Deus mi, in seculum confitebor te.

DEO PATRI, FILIO REDEMPTORI, SPIRITUI  
SANCTIFICATORI; UNI DEO; UNI VITAE AC  
NĒCIS DOMINO, IRAM SUAM RELAXANTI;  
LAUS, HONOR, ET GLORIA: POPULO DEI  
PAX, QUIES, ET SANITAS!

A M E N.

COROLLARIA AUTHORIS,  
In supplementum Thesium quarundam  
superaddita.

AD THESIM I.

Verbum Dei praeter illa, quibus Pestem expressimus, admodum emphaticō terminō Pestem nominat. קטב מרירי: *Kethebb Meriri*, Deut. 32: 24. Psal. 91: 6. *Kethebb* autem, LXX Interpretes in *Hosea* cap. 13: 14. κέρτερον verterunt; unde & S. Paulus Apostolus stylum mutuatus est, 1 Cor. 15: 55. Vis autem Vocabuli est, exponente Riveiō; quicquid pertundendo, & perfodiendo repenti penetrat, & impetu vehementissimō, ut cuspis acuta solet, nomine illō designatur.

AD THESIM IX.

Quae de Angelo malo Peste Aegyptiorum Primogenita conficente diximus, mirum in modū illustant; ea Johannis Lightfooti Theologi Angli verba, quae legas in Spicilegiis ejus in Exodum, ubi Plagā tenebrarum in Aegypto describit; quam cæteris Aegyptiorum Plagis graviorem judicat: Verba sic habentur: Plaga tenebrarum omnibus illis Plagis, quae immissae erant Aegyptiis, maximè erat terribilis. Quae enim praecesserant, eorum tantum terram affixerant, aut bestias, aut corpora: quae verò insecuta fuit; non in omnes incubuit; sed in solos Primogenitos: At hac Plaga ad mentem ipsam ac conscientiam pertigit, atque universè omnes implicuit.

Id autem, quod adeo illos turbavit, non erat totum triduum in tenebris dissidere, neque non se com-

movere posse ad negotiorum curam; ea enim non tantum eos torssissent; sed miseria eorum precipua haec fuit, quod per eas tenebras viderent terribiles apparitiones Cacodæmonum atque Diabolorum, & horribiles species, qua illos modis aded horrendis conturbarunt, ut apud Inferos ipsos jam degere viderentur.

## AD THESIM X.

**A**ugustinus Lib. 3. De Civitate Dei cap. ultimò refert; ex fetore mortuarum locustarum excitatam Pestem, ut in sola Urbe Uticensi ex 30000 mille Militibus castra illic habentibus tantum decem evaserint. Doct. Jacob. Alting; refert; quod Peste An. 1502, & 5-to, & 22. in Belgio grassante, tanta fuerit aëris corruptio, quod aves volitantes mortuae deciderent, & homines ad ipsam mensam extinguerentur.

Diodorus Siculus, Bibliothecæ Libr. 12. Ex aquis stagnantibus aestu Solis concalescentis, auras crassas, tetrique odoris exhalari tradit; quibus diffusis aer inficitur. Fruges etiam nimium humectatas indecoctò succò virulentas inficere valentes; auramque aestivam, si non Ethesitis refrigeretur, plurimum nocere.

## AD THESIM XIII.

**L**atissime Pests grassata est, de qua Thucidides traditionem fecit: Quae in Africa desevit tempore belli Peloponesiaci; Atque ex Æthiopia per Ægyptum, & Persiam, in Graciam penetravit, qua grassata est Hierosolymis durante postremâ obsidione, teste Iosephò.

## AD THESIM XIV

**P**hrases illæ, quæ habentur Psal. 91. 5. A timore nocturno, & à sagitta interdiu volitante, non esse

esse timendum illi, qui in umbra Omnipotentis sedet; vi sua important contagium Pestilentia: quando enim sagitta interdiu volans, & nocturnum pavorem adferens, Pests nominatur; inde colligimus, contagium, experientiâ teste, noctu quum aër est densior, & interdiu quum Solis æstus vis intensior est, sævire piùs magis, quàm alias,

## AD THESIM XVII.

**P**lacuit in casu quo Pestilenti, praxim Academiæ Wittembergensis ex Principis Electoralis Dispositione imperatam, solis committere; quam quia Exemplari destitutor, ex Doctissimo, ejusque rei perito Viro sic irado: In Academia Wittembergensi cum Pests grassaretur An. 1566. publicò Programme à Rectore tum temporis Vito Winshemio, die 11. Augusti, Studiosis significatum, nomine & jussu Electoris, fuit; velle Electorem, ut & vicina Oppida (: sic ipsum sonat Programma, ex libro Programmatum Wittebergensium, Tom. VII. :) contagiis infecta, & in hoc Oppido loca suspecta, quæ pauca sunt, fugerent; ne semina, seu *μικροπαραλαμψή*, quæ Dei singulari bonitate repressa cohibent sese, vestra negligentia excepta propagentur, ac dilatentur. Iterum priore Idus Septembris ejusdem anni, atque eodem Rectore, jam latius & per Civitatem ac domos huc ubique; dispersa, in hanc formam Studiosi publicè moniti: Non est eadem conditio omnium in Academia, Professorum ac Scholasticorū. Quidam ex Professoribus ab infectis locis adhuc longius absunt, & Dei beneficio animò sunt satis firmo presentiq; Quosdam contagia circumdatos undique, & conclusos infestissime urgent: & ex his aliqui Familias habent numerosas, sobolem teneram & copiosam. Quum ergo locum in-

vicinia reperiamus nullum, qui immunis à contagio me-  
 diocri cœtui, per hyemem, quæ jam præ foribus est, rece-  
 pius, ac hospitia tuta aut commoda saltem præbere possit:  
 nec sumptus aut nostri, aut vestri ferant longas migratio-  
 nes: & spes sit hyemem severitiam grassantis mali abrup-  
 turam, atque inhibituram esse; visum fuit nobis, hanc  
 Academia patriam nondum prorsus deserendam esse. Et si  
 itaque aliqui, quibus pericula incumbunt, Familias suas  
 translaturi sunt: manere tamè reliquis, & operas usitatas  
 persequi, institutum est. Ex his etiam, qui Familias ab-  
 ducent, nonnulli intra paucos dies, & ceteri, ubi equinoctiū  
 præterierit, & quam spem initia hyemis ostenderint, ubi  
 animadversum fuerit, huc revertuntur. Neque enim spem  
 protinus de Academia omnem cum armis ipsis abjiciemus;  
 sed auxilium ac protectionis Divinæ fiduciam faciemus officia  
 vocationis nostræ. In ipso enim vivimus, sumus & move-  
 mur. Ipse est vita nostra, & longitudo dierum nostrorum. Ipsi-  
 us sumus, sive vivamus, sive moriamur. Nec dubitamus,  
 quemque nostrum fideliter servientem gloria Dei & Ecclesie in  
 vocatione sua Deo curæ fore. Sed & vos, Scholastici, dissi-  
 miles estis. Si qui itaque, abjectioribus animis pericula præ-  
 sentia exhorrescunt, eos nolimus horum eventum suo cum disci-  
 mine, & parentum mœstitia, ac sollicitudine hic expectare.  
 Si qui rursus animis confirmatoribus velint audire docen-  
 tes Præceptores, donec extrema necessitas cogat utrosque  
 conjunctim, vel seorsim loca querere tutiora; his prælectio-  
 nes publice non deerunt. Sed hos monemus, ne ipsi in peri-  
 cula incuriam suam vel officiis non necessariis se se con-  
 jiciant. Nam si qui inscientur, iis de omnibus rebus necessariis,  
 quæ ad medicationem & curationem pertinent, accuratè  
 in nostro Nosocomio prospectum est. Et sentientes initia  
 infectionis, citò id significent. Nam comperimus reme-  
 dia maturè adhibita efficacia esse; & multos servare.  
 Nec deerit cuiquam fides, consilium, & opera nostra.